

π ς  
1126



Q.K. 42



188  
II c  
1126

Q. D. B. V.  
DE

N V D I P E.  
D A L I B V S  
V E T E R V M

P R Æ S I D E

C A S P A R E S A G I T T A R I O

H I S T O R. P R O F. P V B L. O R D.

Disputabit

J V L I V S V V E R N E R V S *Seidenfrost*  
H A N N O V E R A N V S.




J E N A E.

T Y P I S G O L L N E R I A N I S.

C I O I O C L X X V.



Q. D. B. V.  
DR  
N. V. D. I. P. E.  
D. A. L. I. B. V. S.  
V. E. T. E. R. V. M.  
P. R. E. S. I. D. E.  
C. A. S. P. A. R. E. S. A. G. I. T. T. A. R. I. O.  
H. I. S. T. O. R. P. R. O. F. F. A. B. L. O. R. D.  
D. I. S. P. O. S. I. T.  
J. V. L. I. V. S. V. A. E. R. N. E. R. T. S.  
H. A. N. N. O. V. E. R. A. N. T. S.  
J. E. N. A. E.  
T. H. E. G. O. L. D. E. N. I. A. N. I. S.  
C. O. S. T. A. N. T.





CAPVT I.  
DE NVDIPEDALIVM AN-  
TIQVITATE, NVDISQVE PE-  
DIBVS VENATORVM, CVRSORVM, PHILO-  
SOPHORVM, CONVIVANTIVM, AVA-  
RORVM, PAVPERVM, SERVO-  
RVM, MIMORVM.

SVMMARIVM.

**N**vdipedalia longe sunt antiquissima. Protoplasti & ante & post  
lapsum nudis fuere pedibus. Benedictus Balduinus notatur. II.  
Et primi posterorum Adami forte nudipedes. III. Nudipedalia Genti-  
libus probata. Cultus negligentia valetudini commoda. IV. Lycurgus  
Spartanis pueris nudipedalia prescripsit, & quare. V. Oppianus quo-  
que venatoribus. Cretensium pueri nudipedes. VI. Lycurgus ipse fre-  
quenter excalceus. VII. Plato suis commendavit pedum nuditatem.  
VIII. Sic & Musonius, cui inter calceari ac vinciri parum discrimi-  
nis. IX. Hemerodromorum & cursorum nudipedes. Lutatius Statis  
interpres castigatus. Vespasianus classarios calcearium petentes excal-  
ceatos cursitare voluit. X. Clemens Alexandrinus Musonio consentit.  
Tertulliani vincipes a Salmasio restitutus. Vincula pro calceis. Vin-  
ctus pes pro calceato. XI. Nudipedalia Philosophorum veterum, Py-  
thagoreorum. XII. Cynicorum, precipue Diogenis. Oenomai liber πε-  
ε' xυνισμῶν deperditus. XIII. Socrates nudipes. XIV. Item Ajax, A-  
chilles, Theseus XV. Phocion. XVI. M. Cato, frustra id negante A-  
crone. XVII. Prisci Senatores Romani. Germani veteres. XVIII.  
Publ. Scipio non plane nudipes, sed absque calceis Romanis. Quo-  
modo &

do & Nero discalceatus. XIX. Discrimen inter calceos & sandalia conciliare potest Matth. X. 10. Luc. X. 4. cum Marci VI. 9. Sandaliis usi Petrus, alique Apostoli. Προδηματα quales calcei. XX. An apud Mattheum binarius numerus repetendus. XXI. An mandatum Christi in Mattheo temporale. XXII. Origenes & Hieronymus omnem calceatum a Christo putant prohibitum. XXIII. Hieronymus & Pancirollus Christum & Apostolos discalceatos incesisse volunt. XXIV. Quidni is calceatus incesisset, cujus corrigiarum calceorum meminit Johannes Baptista? Calcei Christi vulgares. Lotio pedum & unctio non probat Christum semper egisse nudipedem. Calcei a convivantibus depositi, finito convictu repetiti. De calceorum depositione, repetitione ac pedilavio quinam scripserint. XXV. Martialis Epigramma in Cottam ob perditas aliquoties soleas excalceum. Nudipedalia sordida avaritie signum. XXVI. Paupertas nudipedalium causa. Hanc pauperie speciem an Deus minetur Samaria Mich. I. 8. Naufragi olim nudipedes ad contestandam miseriam circumibant. XXVII. Servi venales olim nudipedes. A Dempstero dissensus. Cretati pedes servorum, non calcei. Juvenalis & Propertius expositi. Gypsati pedes. Creta in obsignando adhibita. XXVIII. Mimorum nudi pedes. An inde planipedes & planipedia nomen habeant.

§. I.



Nudipedalia, quæ Græci *Αυποδησι-  
αι* appellare solent, antiquitate sum-  
ma sese commendare arbitror. Ete-  
nim, cum ex Dei Opt. Max. benepla-  
cito primævi nostri Parentes totum  
corpus nudi agerent, utique & pe-  
des illorum nullis involucris tectos,  
aut revinctos fuisse apparet. Scili-  
cet nihil illis inerat deforme, quod  
curiose vestibus operirent, neque  
adversus ullam coeli solive injuriam cum reliquo corpore ar-  
marent pedes, necessum habuere. Et licet postea peccato  
jam contaminati tunicas pelliceas ab ipso Deo acceperint;  
nondum tamen ex eo ( quod Benedicto Balduino *de Calceis  
Veterum* cap. I. visum ) promte sequitur, ipsum Deum pedi-  
bus

bus Adami & Evæ calceamenta induxiffe. Certe non videtur adeo a vero alienum, ipsos, si non per totam vitam, magnam tamen ejus partem egiffe nudipedes.

§. II. Gemino autem modo primos posterorum Adami, prout tempus locusque id ferebant, non raro nudis pedibus incessiffe conjicio. Hoc enim tempora ista, a frugalitatis ac parsimonix studio imprimis commendata, omnique post illa quæ invaluit, luxuriæ inimica persvadere videntur.

§. III. In quo quidem instituto, vel æmulos, vel contentientes habuisse Gentiles, externis docemur historiis. Minime enim honestum antiqui censebant, *vestitu nimio operire corpus, aut fasciis involvere, aut manus pedesque circumligatis cujuscunque generis fasciis, pannis aut lineis quibusdam molles & languidos reddere, cum morbo non sint impliciti*: prout Musonius apud Stobæum præclare differit. Atque hæc durior vivendi ratio quanti ad valetudinem conservandam momenti habeat, non ignoravit princeps Philosophorum Aristoteles, eoque non aliter educari voluit beatorum civium liberos, *lib. VII. Politic. cap. XIII. Sane sic viget natus ignis, sic cibus in ventre, sic in venis humor omnis quam optime digeritur, unde crescere corpus & roborari necessum est*: ceu præclare disputat Vir summus, Hermannus Conringius *de Germanicorum corporum habitu antiqui & novi causis*.

§. IV. Verum enim vero quoniam in præsentia de nudis Antiquorum pedibus speciatim agere animus est, primo celeberrimum Græcorum legislatorem Lycurgum sistimus, qui pueris Spartanis nudipedalia præscripsit, ceu inter alia ejus instituta Plutarchus *in vita Lycurgi* observavit: ex quo procul dubio hausit Alexander ab Alexandro *Genialium Dierum lib. V. cap. XVIII. Causa huic præcepto erat, quo expeditius acclivia loca conscenderent, & per declivia loca graderentur*: ut habet Xenophon *de Republ. Lacedæmoniorum* apud Stobæum *in Eclogis serm. XLII.*

§. V. Et quamquam id fortassis mirum alicui videatur propter spinas & tribulos, serpentes item ac lacertos, a quibus nudipedes vexari & lancinari soleant: secundum illud Theocriti, sic latine versum:                   A 3                   In

*In monte cum ambulas, ne discalceatus eas, Batts.*

*In illo enim rubi & assalathi frondent:*

Oppianus tamen *Venationum* lib. I. v. CII. venatores nudis pedibus cubilia ferarum adire iussit, ne calceorum strepitu maledormientes feras excitent. Græca Poetæ sic expressit Conradus Rittershusius:

*Nudis autum pedibus incedant*

*Illi quibus vestigia curæ sunt obscura ferarum,*

*Ut ne forte feris ab oculis somnum abigant*

*Strepitu tritarum pingvibus sub pedibus solearum.*

Apud eundem Oppianum lib. IV. puella verno tempore

*Discalceatis pedibus per omnes montes oberrat*

*Flores querens,*

Sic Nicolaus Damascenus apud Stobæum *serm. XLII. de Legibus & moribus* scribit, *Cretensium pueros venationes & cursus arduos conficere, nudis pedibus.* Quin virgo regii sanguinis Antigone in Sophoclis *Oedipo* describitur *sepe in horridis sylvis jejuna & nudipes oberrans.*

§. VI. At verò ut Lycurgus nihil lege ulla in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret: quo nomine illum Justinus laudat lib. III. cap. II. ita Plutarchus in *vita* ejus testatur, ipsum non nisi diebus necessariis calceos induisse.

§. VII. Plato etiam, teste Hieronymo & Anselmo in *cap. X. Matthæi*, duas corporis summitates a discipulis velari noluit, nec advefieri debere mollitiei capitis & pedum. Idem discipulis præcepisse dicitur, ne iter ingressi pedes operirent. Quod quidem præceptum Hieremias Drexelius paulo curiosius interpretatur in *Prodromo Æternitatis* cap. I. §. XXVI. ubi infit: *Plato tanto aliquem evadere sapientiores censebat, quanto vivacius consideraret mortem: ideo discipulis suis Philosophie studiosis hanc legem dixit, ut iter ingressi pedes nunquam operirent. Voluit vir sapiens hoc ritu significare extremum vite assidue esse cogitandum.*

§. VIII. Eandem ἀνυποδησίαν Musonius Philosophus magnopere commendabat libro *de Vestimentis*, qui propterea inter ὑποδησάσθαι & ἰὸ δέδεσθαι, inter calceari & vinciri, parum statuebat discriminis: quemadmodum hæc, ut alia plurima,  
excer-



excerpsit Stobæus *serm. I.* Latina hæc sunt: *Discalceatum incedere præstantius est, quam calceari. Propemodum enim dixerim, calceatum esse, perinde ac colligatum & vinctum esse. Ceterum nuditas pedum multum facilitatis & agilitatis præbet pedibus, si exercitati fuerint. Sicut & hemerodromos videre est non uti calceis, & certantes cursu non posse servare celeritatem, si in calceis currere necessum habeant.*

§. IX. Quæ de Hemerodromis & Curforibus veterum affert Musonius, utique certa sunt, eoque Placidius Lutatius (quamvis inepte) pertinere putat illa Statii *lib. VII. de Atalanta-plantisque ex more solutis.* Putat enim Atalantam plantas solvisse, seu nudasse pedes, ex eo more quo solita erat cum procis cursu certare. Ceterum hæc in memoriam mihi revocant Svetonii locum, ubi Vespasianus classiariis, qui remiges erant, seu milites maritimi, invitis nudipedalia imposuit. *Classarios, inquit Tranquillus cap. VIII. qui ab Ostia & Puteolis Romam pedibus pervices commeant, petentes constitui aliquid calcearii nomine, quasi parum esset, sine responso abegisse, jussit posthac excalceatos cursitare. Et ex eo ita cursitant.*

§. X. Priora quædam Musonii luculenter sic expressit Clemens Alexandrinus *lib. II. cap. XI. Pedagog.* Viro pulchro convenit nullos habere calceos, præter quam si militet. *Calceatum enim esse, non parvam habet affinitatem cum eo, quod est esse ligatum. Optimum exercitationis genus est nudis uti pedibus, & ad sanitatem, & ad expeditam facilitatem, ubi non prohibeat necessitas.* Quo etiam Tertullianum de *Pallio cap. V.* respexisse putat Salmasius, cum *nudipedem præstare dixit, quam vincipedem.* Sic enim emendat Vir maximus, cum antea *uncipedem, vel unguipedem* legeretur. *Calceos* (hæc sunt Tertulliani: ) *nihil dicimus proprium togæ tormentum* (male alii *termentum.* Videatur Jacobus Rævardus *Variorum lib. I. cap. VIII.*) *immundissimam pedum tutelam; verum & falsam. Quem enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceo vincipedem?* Inde forsitan Latinis *Vincula & Vincla* pro calceamentis. Sic enim Virgilius *l. IV. Æn.*

*Vnum exuta pedem vinclis in veste recincta.*  
*Et lib. VIII. Æn. Tyrrhena vincula sunt calceamenta Tusca.*

Ovidius.

Ovidius: *Arida de vinculis, crura resolve tuis.*

Idem l. III. Metam. *Vincla duae pedibus demunt.*

Sic lib. I. Fast. *Impediunt teneros vincula nulla pedes.*

Lib. II. Fast. *Scindebant magni vincula parva pedes.*

Lib. III. Fast. *Nec quisquam invita faciet bene vincula planta.*

Lib. V. Fast. --- *Habent gemini vincula nulla pedes.*

Tibullus lib. I. Eleg. IV. *Vinclaque de niveo detrahet ipse pedes.*

Prudentius hymno X. Peristephanon:

*Atquin ipse pedes meos resolvam,*

*Ne vestigia praepedita vinculis*

*Tardis gressibus irruant in ignem.*

Sic *Vinctum pedem* pro calceato iterum dixit Ovidius l. III. de Arte Amandi:

*Cum possit solea chartas celare ligatas,*

*Et vinculo blandas sub pede ferre notas.*

§. XI. Utigitur expeditiores obeundis negociis essent, qui ceteroquin superfluum cultum omnem detestabantur, parsimoniam intenti veteres Philosophi, nudis incedebant pedibus. Pythagoræos quidem nullos gestasse calceos declarare videtur Athenæi testimonium lib. IV. cap. XVII. quod ita de Diodoro Aspendio Philosopho Pythagorico, cujus etiam meminit Jamblichus lib. I. c. XXIII. quique temporibus Ptolemæi Lagi floruit: *Cum Pythagorice sectæ se videretur tradidisse, Cynicis moribus vestris vixit, capillatus, sordidus, sine calceis.* Et putat sane vir celeberrimus Johannes Schefferus in exasciato de *Philosophia Italica* libro, ab ipsis Pythagoræis ad Cynicam lectam hunc morem transiisse: qui tamen infimul pro sua, qua in antiquorum monumentis summo cum iudicio versatus est, indultria, existimat, usum calceorum omnibus Pythagoræis non æque fuisse prohibitum, sed forsan illis solum, qui adhuc probandi viderentur.

§. XII. De Cynicis res clarior. Licet enim nonnunquam, per hyemem ( ut puto ) soccos aut blautiasmitterent, plerumque tamen conspicebantur nudipedes. De soccis Plautus *Perfa* I. III.

*Cynica esse e gente oportet parasitum probe.*

*Ampullam, strigilem, scaphiam, soccos, pallium.*

At

At βλάυτια, quæ erant ex solearum genere, vetus Epigramma Leonidæ Cynico assignat. Quem calceatum etiam antiquos Christianos, qui Philosophorum veterum abstinentiam in multis æmulabantur, non omnino autem perferre poterant nudipedalia, admisisse, ex Clemente Alexandrino liquet. Sed de Cynicorum nudis pedibus hic sumus solliciti, eamque in rem occurrit illustris locus ex Luciani dialogo, qui inscribitur *Cynicus*, quo istius sectæ alumnus hæc profatur: *Cultus meus huiusmodi est, squalere, hirsutum esse, & tritum pallium habere, calceis carere.* Philostratus *Epist.* XXIII. Sinopensem Philosophum (is erat Diogenes) nudipedem sistit. De eodem Diogene, Diogenes Laërtius in *vita*: *Nudis pedibus calcabat nivem.* Idem discipulos suos *sine tunica & calceis* prodire voluit, eodem Laërtio teste. Theodorus Prodromus *Oratione de Sapientia* a Federico Morello latine versa: *Si vis illius Philosophicæ (Cynicæ) sectæ formam cernere, equidem tibi eam sermone effictam ob oculos ponam. Absque calcementis hic fuit: homo sine lare & domo squalidus.* Sed de his forsan uberius nos docere potuisset Oenomaus libro περὶ κυνισμῶν a Suida laudato, nisi temporis injuria eundem orbi erudito invidisset.

§. XIII. Socratem quoque nudipedem ambulasse, apparet ex Aristophanis *Χυβίβις*, ubi Pheidippidem sic loquentem introducit:

—— τὸς ἀνυποδήτους λέγεις  
 ὧν ὁ κακοδαίμων Σωκράτης καὶ  
 χαιρεφῶν.

Ad quæ vide quæ notat Scholiastes eruditissimus. Alios ex Aristophane versus laudat Laertius in *vita Socratis*, quæ latine sic habent:

*Elatu fastu vias terit, oculisque innuit,  
 Et discalceatus mala multa tolerat, &  
 Inter nos vultu gravitatem præ se fert.*

§. XIV. Ajacem item & Achillem nudipedes nobis sistit laudato loco Philostratus. Et Thesea Atticum Regem eodem modo introducit Lucianus in *Cynico*: *Ille, inquit, voluit nudipes esse, & nudus ambulare.*

B

§. XV.

§. XV. Sic ex Atheniensibus paulo qui essent in ratione vitæ adstrictiores, aut severiores, non nisi necessitate coacti, ad vitandum scilicet frigus itinerumque asperitatem calceis utebantur: cujus exemplum nobis Phocionem exhibet Plutarchus. Ille enim, peregre quidem atque in bello sine calceis semper nudusque incedebat, nisi gelu immodicum esset & intolerabile: ut milites per jocum pro gravis brumæ nota haberent, ubi esset vestibus Phocion opertus.

§. XVI. Phocioni in hac tolerantia nequaquam cessit M. Cato minor, qui eodem Plutarcho teste, crebro sine calceis & tunica procedebat in publicum a prandio: non, quod gloriam ex hac novitate aucuparetur, sed quod advesceret sese ob solam turpitudinem erubescere, & infamias contemnere reliquas. De eodem Horatius lib. I. Epist. XIX.

*Quid si quis vultu torvo ferus & pede nudo*

*Exiguaque toga simulet textore Catonem?*

Quem imitatur superioris seculi vates ad veterum gloriam assurgens Michael Hospitalius, Galliarum Cancellarius lib. IV. Sermonum.

*Treis secum servos non plures unus habebat*

*Exiguae vilisque togæ præcinctus amictu,*

*Et pedibus nudis incedens vertice nudo.*

De eodem Alexander Neapolitanus *Genialium Dierum* lib. V. c. XVIII. Cato *Vticensis* mira patientia, ita ut vix cruda hyeme calcearetur. Quamvis autem id de Catone ausus sit negare interpretes Horatii Helenius Acron, ejus tamen fides tanta non est, quæ veterum auctoritatem valeat elevare.

§. XVII. Initio autem nascentis Reip. Romanæ ipsi Senatores (quidni & plebs promiscua?) nudis incedebant pedibus. Vetus Scholiasta Juvenalis ad Satyrain I. Ostendit plus honoris videri in calceis, quam in persona. Illo enim tempore nec dum Senatores nigris calceis utebantur, sed nudis pedibus, vel pulverulentis. Sed & priscos Germanos nudipedes plerumque egisse existimo. Neque enim istud familiari gentis rigori defuisse credas. Et favere huic asserto videtur fidus antiquitatum Germanicarum servator Tacitus, dum in *Germania* sua cap.

XVII.

XVII. *Sagum* commune omnibus tegumen fibula aut spina conser-  
tum assignans, cetera intactos vixisse memorat.

§. XVIII. Ceterum Publium Scipionem, ac ad huius  
exemplum, Germanicum nudipedes facit idem Historicus,  
*Annali* II. cap. LIX. scribens: *Multa Germanicus in vulgus grata*  
*usurpavit, sine milite incedere, pedibus intactis, & pari cum Græcis a-*  
*mitu. Publ. Scipionis emulatione, quem eadem factitavisse apud Sicili-*  
*am, quamvis flagrante adhuc Pœnorum bello, accepimus. Cave ta-*  
*men hæc de pedibus prorsus nudis accipias, cum de Græca-*  
*men soleis, seu crepidis intelligenda sint. Nimirum nudi-*  
*pes quandoque censebatur, non qui prorsus calceatu, sed*  
*qui calceis Romanis carebat. Fere enim pedes nudi, a plan-*  
*ta infime, sed non superne tecti. Quo referri debent illa A.*  
*Gellii Noctium Atticar. l. XIII. cap. XXI. Omnia ferme id genus,*  
*quibus plantarum calces tantum infime teguntur, cetera prope nuda,*  
*& teretibus habenis vincta sunt, soleas dixere nonnunquam voce Græ-*  
*ca crepidulas. Quod ut facilius credamus, T. Livius facit,*  
*qui Scipionem cum pallio crepidisque (more Græcorum) in Gym-*  
*nasio inambulasse perhibet lib. XXIX. Sic etiam ista Svetonii*  
*de Nerone interpretor, qui cap. LI. illum plerumque in publi-*  
*cum discalceatum prodisse narrat. Et Clemens Alexandrinus in*  
*Pedagog. iis qui plane nudatis pedibus ire nequeant, βλάυταις,*  
*ἢ Φαικασίοις, quæ erant Græcarum solearum species, uten-*  
*dum svadet: quod jam jam §. XII. tetigimus.*

§. XIX. Et hæc observata distinctione videntur conciliari  
posse dicta Christi apud Matthæum cap. X. v. X. & Lucam cap.  
X. v. IV. cum iis Marci VI. v. IX. quæ alias prima fronte pu-  
gnare videntur invicem: quandoquidem hic discipuli jubentur  
calceati viam carpere; id quod prioribus locis eis inter-  
dicitur. Scilicet ὑποδήματα, hoc est, calcei totum pedem  
operientes (quod vocabulum apud sanctos Duumviros ap-  
paret) a pedibus Apostolorum remonentur, suffectis in lo-  
cum eorum sandaliis (hanc vocem diserte usurpavit Marcus)  
hoc est, solearum specie, non integrum, sed plantam modo  
pedis tegente. Et vero S. Petrum sandaliis usum Actorum  
historia cap. XII. v. VIII. arguit, ac aliquoties eorundem in

Abdiæ vitis Apostolorum fit mentio. Quoniam igitur *ὑποδήματα*, generale alias vocabulum, calceos hic signare videntur lautiorum, multis cum obstragulis, multamque ac sollicitam operam in calceando requirentes; ac, ut nonnulli addunt, mollioris corii, sanctissimus Salvator, qui promptos atque expeditos volebat suos, iisdem rejectis, *sandalia* commendavit; viliora scilicet calceamenta, & pauperiorum ac ex duriori corio, ad usum familiarem accommodata magis. Et hæc quidem plana conciliandi ratio ceteris videtur præferenda: quam licet Maldonatus Jesuita *Commentariis in Matthæum* rejiciat, Jansenii tamen, Salmasii, Lightfooti, aliorumque magnorum virorum calculo comprobatur.

§. XX. Sunt quidem & alii concordia inter Evangelistas stabiliendæ modi, quorum aliquos per saturationem quasi afferemus. Quidam enim putant repeti apud Matthæum deberi numerum binarium, ut prohiberi credas non tam calceamenta in universum, sed duo calceamentorum paria, perinde ac duas tunicas. In hunc sensum Anselmus scribit: *Non, quod in locis Scythiæ rigentibus glaciali nive debeat esse contentus aliquis una tunica, sed ideo hoc præcipit, ne aliud vestimentum induiti, aliud nobis futurorum timore servemus. Neque calceamenta duplicia eodem modo.* Sequuntur hanc sententiam Cajetanus, Maldonatus, Vincentius Regius: quæ tamen vel propterea non videtur omnimodo recipienda, quod explicito Matthæi nodo, alium in Luca, qui non habet illud *ὑπο*, relinquat.

§. XXI. B. Martinus Chemnitius *Locorum Commun. part. I.* ad locum Matthæi in genere respondet, mandatum esse temporale, quod ad primam Apostolorum legationem pertineat: quod & Gvilielmo Stuckio *Antiquitatum Convivialium lib. II. cap. XXVII.* placuit, qui cum Græcis respondet, *hoc certi fuisse temporis, non perpetui.*

§. XXII. Neque tamen defuerunt ex veteribus, qui omnem calceorum usum plene planeque a Domino prohiberent: in quibus fuit Origenes (male Heraclæ Presbytero id tribuunt alii) de quo Eusebius *Histor. Eccles. lib. VI. cap. III.* sic scribit: *Maxime vero Evangelica illa Servatoris nostri præ-*

præcepta observanda esse ducebat, quibus monemur, tum, ne duas tuni-  
cas habeamus, neve calceamentis utamur, tum ne de crastino nimium  
solliciti nosmetipsos excruciemus. Sed & majore, quam ætas ferebat,  
animi ardore, in frigore ac nuditate perstans, & ad summum Evan-  
gelicæ paupertatis culmen evectus familiares suos ingenti admiratione  
perculit. Et paucis interjectis: Multos item per annos nudis vestigiis  
ambulasse dicitur, nullo penitus calcamento usus. (unde vi'  $\mu\eta\delta\alpha\mu\omega\varsigma$   
 $\kappa\epsilon\chi\epsilon\eta\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron\varsigma$   $\dot{\upsilon}\pi\omicron\delta\acute{\eta}\mu\alpha\tau\iota$ .) Etiam Hieronymum huic opinioni  
addictum deprehendimus, tum lib. II. contra Pelagium cap. V.  
tum in aliquot Epistolis. Pelagium inter reliqua deliria as-  
serentem facillima Dei mandata, hominique, modo vellet,  
absque peccato vivere, integrum esse, inter alia hoc argu-  
mento eludit: Si facilia sunt præcepta divina, cur ergo Pe-  
trus illud de assumendis calceamentis non servavit? Sed en  
ipsa Hieronymi: Nolite, inquit, possidere aurum, neque argen-  
tum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, non panem,  
neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Hæc, inquit,  
præcepta Apostolica sunt. Et certe Petrus amplius caligas habuisse  
narratur, dicente ad eum Angelo: Præcinge te, & calcea te caligis tuis.  
Nempe existimat Hieronymus, penitus a Christo prohibita  
calceamenta, & Petrum humanitus aliquid passum ad versus  
Christi mandatum assumsisse. Vnde & Epistola ad Gerun-  
tiam: Apostoli toto orbe peregrini non es in zona, non virgam in ma-  
nibus, non habuerunt in pedibus caligam. Idem ad Eustochium  
virginem, de custodia virginitatis: Et Moyses & Jesus Nave  
nudis in sanctam terram pedibus jubentur incedere. Et discipuli sine  
calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem novi  
Evangelii destinantur. Et milites vestimentis Jesu sorte divisis cali-  
gas non habebant, quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus,  
quod prohibuerat servis.

§. XXIII. Hieronymum ergo si sequimur, & Apostoli &  
Apostolorum magister nudipedes egerunt. Ex recentioribus  
huic sententiæ subscripsit celebris Jureconsultus ac Philolo-  
gus Italus Gvido Pancirollus libro de rebus deperditis tit. XLIV.  
his verbis: Dio refert, Senatores olim discalceatos fuisse, præterquam si  
publice convenissent. Multo magis igitur & alii absque calceis inces-  
serunt.

serunt. De quo vel propterea dubitandum minus, quod ipsum etiam Salvatorem Nostrum maximam vite sue partem discalceatum fuisse constat. Indeque est, quod ingresso ipsi Simonis leprosi edes Magdalena pedes cum lacrimis lavit, & capillis siccavit: siquidem Simon lotionem istam omiserat, quæ tamen administrari solebat hospitibus: qui, quoniam absque calceis ingrediebantur, lotionem ea quam maxime indigebant. Ad quæ sic commentatur Henricus Salmuth: Idemque & Apostolis præcepit Christus, ne calceamentum pedibus inducerent.

§. XXIV. At vero nisi Pancirollus fortius argumentum pro nudipedalibus Christi attulerit, quam hoc Simonis convivium, valde vereor ne causa cadat. Et quidni caderet? Num enim is calceamenti caruerit, de quo Johannes Baptista affirmat, se indignum esse, *cujus vel portet calceos?* ut est Matth. III. v. II. vel *cujus calceamentorum solveret corrigiam?* quomodo idem Johannes Marc. I. v. VII loquitur. Quamobrem bene Augustinus Serm. XLII. de sanctis. *Nam de his calceamentis, quibus calceati ambulamus, consolatur me ipse Dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Johannes diceret: Non sum dignus, qui solvam corrigiam calceamenti ejus.* Hos autem Christi calceos non fuisse preciosos, sed simplices ac vulgares facile crediderim Clementi Alexandrino, *cujus hæc sunt latine versa. Tenuis ac simplicis calceaturæ testis sufficit Johannes, qui dicebat, se non dignum esse, solvere corrigiam calceamentorum Domini. Non enim curiosos aut superfluos is habebat calceos, qui veræ Philosophiæ typum Ebraeis ostendebat.* Neque ex eo quod lavarentur pedes convivarum, prono fluit alveo, nudis pedibus incesisse. Lyrani quidem & hoc est commentum in cap. VII. Luca: *Dabatur aqua peregre venientibus, quibus pedes fessi ac dolentes ex dolore itineris, & lutosi seu pulverisati, eo quod sine calceamenti incedebant. Sed & pulverulenti pedes redditi, quamvis sandalia seu soleas, quarum creber erat usus, induerentur. Hinc aqua discubituris, ne triclinia commacularent, præbita, ipsæq; ante prandium & coenam depositæ soleæ, a surgentibus repetitæ. Quo spectant tabulæ marmoreæ e rudibus Romanis atque aliunde erutæ, in quibus pueri soleas*  
coena-



coenaturis detrahentes conspiciuntur. Plautus ritum hunc confirmat Trucul. II. IV.

*Jam redit animus, deme soleas: cedo! bibam.*

Et scena sequenti: *Soleas mihi deme.*

Terentius Heautontimorum. I. I.

*Ad sideo: accurrunt servi: soccos detrahunt,*

*Video alios festinare, lectos sternere,*

*Cœnam apparare.*

Martialis: *Deposui soleas affertur potinus ingens*

*Inter lactucas oxygarumque liber.*

De hac sollearum depositione, itemque pedilavio Veterum non pauca jam collecta sunt a viris celeberrimis, quos hic laudare visum. Consulantur scilicet Benedictus Balduinus de *Calceo antiquo* cap. XI. XXI. & XXVI. Caspar Barthius *Adversarior. lib. VI. cap. XI.* Philippus Caroli *Gustavi Philologia Sacra dialogismo* I. Petrus Ciacconius de *Triclinio*, Daniel Clasenius *Exercitation. Sacrar. in Passionem Christi* lib. I. cap. IV. Joh. Conradus Dietericus apud *Dilherrum* tom. I. *Disputat. pag. 230.* item *Antiquitatum Sacrarum* lib. I. & II. Johannes Drufius in *Exodi* cap. XII. V. XI. Martinus Geierus *Dissertatione Philologico Historica de Veterum Ebraorum ratione coenandi*, Jacobus Gretzerus in *Pedilavio*, Nicolaus Heinsius *Exercitat. Sacrar. in Nonnum* c. III. Justus Lipsius *Antiquarum Lection. I. III.* Hieronymus Mercurialis lib. I. de *Arte Gymnastica* cap. XI. Laurentius Pignorius de *Servis*, Martinus Raderus *Commentar. ad Martialis. I. III. Ep. L.* Laurentius Ramirez de Prado *Pentecontarchi* cap. XII. & ad *Martialem* *Commentar.* Josephus Scaliger de *Emendatione Temporum* fol. 534. & in *Elencho Tribaresis*, Thomas Stegerus de *Lotionibus Veterum* cap. VII. Guilielmus Stuckius *Antiquitatum Convivalium* lib. II. cap. XXVII. Fridericus Taubmanus ad *Plauti Trucul. II. IV. & V.* Levinus Torrentius ad *Horat. I. II. Sat. VIII.* Hadrianus Turnebus *Adversarior. I. XXX. cap. XXXVIII.* Fulvius Ursinus in *Additamentis ad Ciacconium de Triclinio*, Christianus Wasewitzius in *Turture Johanneo* sive *Commentario de vita Johannis Baptista* cap. LVIII.

§. XXV. Hæc sollearum depositio in memoriam mihi revocat lepidum epigramma Martialis, quo Cottam quendam

dam ridet, quod perditis aliquoties soleis excalceus denique  
ad coenam iret. Habetur id *lib. X. num. LXXXIX.*

*Bis Cotta soleas perdidisse questus,  
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.  
Qui solus inopi prestat, & facit turbam:  
Excogitavit homo sagax & astutus,  
Ne facere posset tale sepius damnum:  
Excalceatus ire coepit ad coenam*

Hæc scilicet nudipedalia nimix sordidæque parsimonix cha-  
racterem repræsentarunt. Sic Theophrastus inter *μικρολο-  
γίας* signa refert *calceos medio die exuere*. Quo nescio annon &  
hoc pertineat Senecæ, quando Epist. LXXXVIII. *erubuisse se ait*  
*mulionem excalceatum non propter æstatem.*

§. XXVI. Longe aliter cum illis erat comparatum, quos  
extrema pauperies a calceorum usu arcebat: quod per-  
ditus ille nepos, quem Christus depingit Lucæ xv. & Phani-  
um virgo, cui nihil erat adjumenti ad pulchritudinem, sed capillus  
passus, nudus pes, vestitus turpis, apud Terentium Phorm. i. ii. &  
cum illis innumeri alii sunt experti. Huc refero illud Martiani  
Capellæ de vera & germana *παδεία* agentis: *Plerumque adhaesit*  
*pauperibus, magisque illis, quos aut pedibus nudos aut intonso crine*  
*hispidos aut sordenti conspexit pallio semitectos.* Hanc *ἀνυπόδησιαν*, si  
Seniores sequimur, Samarix minatur Deus Mich. i. viii. *πορεύ-  
σεται ἀνυπόδητος καὶ γυμνή*, *incedet discalceata & nuda.* Ad quæ  
Cyrillus: *Nuditas & excalceatio captivorum habitum significant.*  
Quamquam si Ebræa inspicimus, non de Samaria, sed de se  
ipso loquitur Propheta: *Ibo spoliatus & nudus.* Ad hæc inopum  
nudipedalia refero, quod olim naufragi ad extremam, quam  
perpesi, contestandam miseriam nudipedes circumirent.  
Ita enim colligo ex Paulini Episcopi Nolani carmine ad Cy-  
thereum de Martiniani naufragio:

*Caligis tamen vilibus donatus est,  
Ne nautico erraret pede,  
Qui maluisset confoveri excalceus,  
Quam calceari frigidus.*

Quo & hæc Alciphronis referenda Epist. iii. Etenim cum  
aliquando

aliquando pisces vendere instituissem, audiui quendam ex his, qui in Pœcile versantur, discalceatum & lurido colore præditum: qui carmen recitabat, quo navigantium desperatio decantabatur.

§. XXVII. In pauperum nudipedum sorte merito & servos veterum venales locamus. Nam hos intectis fuisse pedibus demonstrabimus. Juvenalis, ubi de Cappadocibus & Bithynis Romam venum ductis Sat. VII.

*Altera quos nudo traducit Gallia talo.*

Neque enim nobis se probat Vir magni quantumvis nominis, Thomas Dempsterus, qui cretatos servorum venalium pedes ad calceos nota cretacea insignitos refert: quod & Balduino de Calceo antiquo cap. XXIII. displicuit. Nunquam enim calceorum in hac causa, semper pedum meminere Veteres. Juvenalis Sat. I.

*Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.*

Albos appellat, ut pote insignitos nota cretacea: quæ (si Dalechampio & Scaligero ex Xenophonte id eruenti credimus) heri sigillo imprimebatur, quando privati hominis mancipium foret; cum publicum, Reipublicæ. Plinius lib. XXXV. c. XVII. Est & vilissima creta, qua Circum præducere ad Victoriæ notam, pedesque venalium trans mare advektorum denotare instituerunt majores. Talemque Publium mimicæ sectæ conditorem & Astrologicæ consobrinum ejus Manlium Antiochum, item Grammaticæ Taberium Erotem eadem nave advektos videre proavi. Et cap. seq. Claudii Cæsaris libertos vidimus cum laureatis fascibus illo remitti, unde cretatis pedibus advenissent. Sic Propertius:

*Aut quorum titulus per barbara colla pependit*

*Cretati medio cum saliere foro.*

Vbi tamen alii, nec inepte forsân, legunt *Celati*, ut respiciat Poeta ad stigmata servorum seu cælaturas in fronte, vel alia corporis parte. *Gypsati pedes* audiunt Ovidio & Tibullo. Illi lib. I. malæ artis: *Nec tu si quis erit capitis mercede redemptus,*

*Despice gypsati nomen inane pedis.*

Huic I. II. Eleg. III. *Nota loquor, regnum ipse tenet, quem saepe coegit*

*Barbara gypsatos ferre catasta pedes.*

Cretam autem in obsignationibus adhiberi solitam, ex Cicero-

C

ne,

ne, Servio aliisque clarum: quos etiam hoc nomine laudant Petrus Victorius *Variarum Lectionum* lib. XIV. c. IV. Johannes Kirchmannus *de Annulis* cap. VII. Johannes Saubertus *de Sacrificiis* cap. XVIII.

§. XXVIII. Hac creta obsignassemus præsens caput, nisi mimorum excalcei in mentem venissent pedes. Nimirum mimos olim nudis egisse pedibus, vel exin probare nonnulli cupiunt, quod *planipedes* sint dicti, & fabula *planipedia*. Vnde Diomedes lib. III. *Planipes* Græce dicitur *Mimus*. Ideo autem Latine *planipes*, quod actores planis pedibus, id est, nudis, prosœnium introirent; non, ut Tragici actores, cum *cothurnis*, neque ut Comici, cum *soccis*. Donatus, sive potius Evanthius, prolegomenis in Terentium: *Planipedia* dicta ob humilitatem argumenti ejus, ac vilitatem actorum, qui non *cothurno*, aut *socco*, utuntur in scena; sed *plano pede*. Vbi oppositio satis docet, *planum pedem* dicere, qui expers sit *cothurni* ac *socci*; utpote nudus. Eleganter ad hos nudos mimorum pedes respiciens Seneca *Epist.* VIII. ad Lucilium scribit: *Quantum disertissimorum versuum inter mimos jacent? quam multa Publii non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt.* Certum igitur mimorum nudos fuisse pedes: atamen non æque certum, an ob id *planipedes* dicti, eorumque fabula *planipedia*. Nempe alia denominationis adest ratio: quod scilicet mimi primitus non admitterentur in orchestram; sed plano agerent pede, sive in plano atque humili loco. Affert & id etymi Diomedes his verbis: *Sive quod olim non in suggestu scenæ, sed in plano orchestrae, positis instrumentis mimis, aditabant.* Ac Evanthius quoque: *Vel ideo, quod non ea negotia continet, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt; sed in plano & humili loco.* Et huic quidem sententiæ favet Vostius *Institution. Poëticar.* lib. II. cap. XXXII. *Planipedis* meminit & Gellius *Noctium Atticarum* l. I. c. XI. *Quid enim foret ea re ineptius, sicut planipedi saltanti, ita Graccho concionanti numeros & modos, & frequentamenta quædam varia tibicen incineret?*

CAPVT

# CAPVT II. DE NVDIPEDALIBVS RE- LIGIOSIS.

## SVMMARIVM.

**R**eligiosa Nudipedalia describuntur. Moyses ac Josua in sanctis locis iussi se sistere nudipedes, & quare. Hi non sanctificarunt eorum ritum terram, quae jam sancta erat. II. Mystica hujus excalceationis significatio Patrum dictis confirmata. III. Theodoretus Moysen eo putat praefigurasse nudos sacrificantium pedes. IV. Q. An sacerdotes excalcei sacra fecerint? Probabile videtur ob lotionem. Hypocaustum sacerdotum quo hyeme pedes calefacerent. V. An & reliqui Iudaei nudis egerint pedibus. Iuvenalis illustratus. Berenice coram Floro nudipes, & qua de causa. VI. κακοζηλία Gentilium in Nudipedalibus. Pythagoras sacrificantibus nudipedalia praescripsit. Quinam Symbola Pythagore illustrarint. Christianus Florens notatus. Pythagoras hoc praecipit ex Moyse hausit; sicut pleraque symbolorum: quippe qui & genus ad Iudeos referat. Pythagoras circumcissus. Hierophantae nudipedes. VII. Lacedaemoniorum sacra nudipedalia. Proverbium: γυμνοποδίαίς χάρει. VIII. Matronae Graecorum in honorem Cereris discalceatae. IX. Cretenses Dianae eadem non nisi nudipedes ingrediebantur. Atalanta eum ritum cur servavit. X. Romanae mulieres eadem Vestae nudis pedibus ingressae. XI. Imaginem Magnae Matris Deum proceres Romani nudipedes comitabantur. XII. Et alias in publicis supplicationibus haec religio obtinuit. XIII. In sacris magicis veneficae nude pedem. XIV. Christianorum religiosa Nudipedalia. Baptizandi ad Exorcistam nudipedes venire. Processio nudipedalis ob terrae motum Constantinopoli & Antiochia. Concilium Moguntiacum in litanis nudipedalia praescribit. Heraclius receptam a Persis S. crucem nudipes pristino loco restituit. In Festo Exaltatae crucis hic ritus observatus. Processiones Constantinopolitanae in nudis pedibus. Nudipedalia in translatione

ne Vallerlebianæ Ecclesiæ Magdeburgum. Ottonis III. Gnesnensem Archiepiscopatum fundaturi. Egidonis Misnensis Episcopi. Henrici III. Leonis IX. Monachorum Hirschfeldensium. Annonis Coloniensis Archiepiscopi. Christianorum Hierosolymam obsidentium, & occupantium. Clemangis locus insignis de Nudipedalibus. XV. Saraceni non nisi detractis calceis ingrediuntur Moscheas. Mesth interiores Turcarum soleæ. Monachi Turcici nudipedes. Persæ ac Ethiopes templa ingressuræ calceos deponunt. Judei hodierni Synagogam ingredientiæ aut purgant calceos, aut exuunt. XVI. Nudipedes inter hæreticos relati. XVII. Franciscani Pontificii nudipedes male audiunt.

§. I.



Religiosa appellamus Nudipedalia, quæ partem aliquam divini religiosiq; cultus, sive jam ille genuinus, sive superstitiosus fuerit, complectebantur. Ad priorem classem, sinceræ scilicet veræque religionis, merito suo referenda sunt Moysis ac Josuæ Nudipedalia a Deo ipso iussa. Nimirum quando supremum Numen per flammantem rubum se conspiciendum daret Moysi, is ipse ad considerationem miraculi propius accedens monitus est a Deo, ut *calceamentum solveret de pedibus, quod locus in quo staret, terra esset sancta.* Exodi cap. III. v. IV. Atque idem postea Israelitarum Duci Josuæ in ipso promissæ terræ aditu geminis verbis imperatum cap. V. v. XV. In causas horum præceptorum si inquiras, præcipue hoc externo symbolo sunt admoniti, quanta divinæ majestatis, quæ præsentiam inibi declararet suam, foret excellentia, cumque ea humilitatem ac conditionis suæ vilitatem componentes, ingenti submissione animi ac reverentia ad percipienda responsa accederent. Neque vero existimandum, vel Moysen, vel Josuam sua pedum nuditate sanctiorem reddidisse terram, quæ jam per præsentiam divinam sanctificata. Theodoretus *Question. in Exodum VII.* recte scribit: *Alii dicunt, id fuisse imperatum Moysi, ut nuditate pedum suorum sanctificaret terram illam. Quod mihi non probatur. Moses enim tunc nec dum Pontifex, neque*

Pro-

Propheta creatus fuerat: & Deus locum illum per suam praesentiam  
jam sanctificaverat, ideoque terram illam sanctam esse dixerat. Non  
igitur Moses nuditate pedum suorum sanctificaturus erat, locum  
illum.

§. II. Per allegoriam vero hac ipsa calceorum depositio-  
ne Doctore ac Ducibus populi Judaici videtur significatum, ut  
solicitudines ac curas seculares ab officio suo alienas ac mor-  
tali vitae adhaerentes seponerent prorsus, iisdemque abjectis  
superna ac coelestia unice cogitarent. Quam in rem iterum  
Theodoretus d. l. *Quare iussus est Moses calceamentum solvere?*  
Dicunt nonnulli, ea re significasse Deum, ut sollicitudines seculares ab-  
jiceret huic mortali vitae adhaerentes. Nam pelles unde conficiuntur  
calceamenta, mortuae sunt. Quo forte etiam respexit Gregorius  
Nazianzenus Orat. II. de Pascha, cujus graeca sic vertit Billius:  
*Fam qui terram sanctam & vestigiis divinis impressam contacturus*  
*est, calceamenta solvat: quemadmodum & Moses ille in monte, ut ni-*  
*hil mortuum ferat, nec inter Deum atque homines intermedium.*  
Certe Nicetas paraphrasi sua haec ita elucidat: *Quae verba hos*  
*nobis significant, eum, qui animum ad contemplationem adjiciat (haec*  
*enim terra sancta est, in qua Deus per imaginem apparet) munda-*  
*nas curas, ut mortuas & infrugiferas, atque aditum ad Deum in-*  
*tersepientes abjicere debere.* Gregorii Nyseni cogitationes haec  
sunt: *Moses accedens ad Deum in rubo, calceos solvit, ut disceret,*  
*nil earum rerum, quae aut sensu comprehenduntur, aut mente, praeter*  
*supremam essentiam, quae omnium causa est, & e qua omnia pendent,*  
*vere subsistere.* Ambrosius lib. II. de Poenitentia cap. ult. *Didici-*  
*mus ergo & agendam poenitentiam, & in captivitate peccati positos re-*  
*verentiores nos, non usurpatores esse debere. Nam si Moysi propius ac-*  
*cedere gesti, dicitur: Solve calceamentum pedum tuorum; quanto*  
*magis nos animae nostrae pedes exuere vinculis corporalibus, & gressus*  
*omnes mundi istius nexu debemus absolvere.* Hieronymus ad Mar-  
cellam, de exitu Lae: *Quapropter moneo, & flens gemensque con-*  
*testor, ut dum hujus mundi vitam currimus, non duabus tunicis, id*  
*est, duplici vestiamur fide: non calceamentorum pellibus, mortuis vi-*  
*delicet operibus prae gravemur.* Idem Commentar. in Esaiae cap.  
XX. *Neque in terra Sancta, ad quam ire festinat, sacco vestitus, &*

opertis pelle pedibus vel stare poterat, vel ambulare: dicente Domino: Solve calceamentum de pedibus tuis. Augustinus Serm. XLII. de Sanctis: Calceamenta, quibus utimur, coria mortuorum sunt, nobis tegmina pedum. Per hoc ergo iubemur renunciare mortuis operibus. Hoc in figura Moses admonebatur, quando Dominus loquens ait, Solve calceamenta de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est. Quid tam in terra sancta, quam in Dei Ecclesia? in illa ergo stemus, calceamenta solvamus, id est, mortuis operibus renunciemus. Isidorus Hispalensis libro Procemiorum: Nullus digne consistere, vel Deum videre potest, nisi qui cuncta terrena & mortalia despexerit vitia: quod significabant illa calceamenta deposita. Bernhardus Serm. de B. Maria super illud Apocal. XII. Signum magnum: Merito quidem admiraris Moses sancte, & curiosius desideras intueri. Veruntamen solve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis.

§. III. Theodoretus autem aliam quoque hujus mandati in Moyse affert rationem, quasi is eo ipso nudos Sacerdotum sacrificantium pedes præfigurare habuerit. Duo igitur arbitror, inquit, per hoc significari: primum quidem, ut religiosiorem hac ratione Mosen redderet; deinde vero ut prædoceret eum, qua ratione oportet sacerdotes in tabernaculo deservire. Nudis enim pedibus illi sacrificia peragebant.

§. IV. Non immerito igitur hoc loco quæras, an etiam, quod putat Theodoretus, nudis pedibus Judæorum sacerdotes sacra fecerint. Diserte quidem ea de re in Lege Moisaica cautum nihil: at vero quia tabernaculum ingressuri iubentur lavare pedes, probabile admodum videtur, nudis postea pedibus sacris operatos. Sic enim habetur Exodi xxx. v. XIX. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Facies & labium æneum cum basi sua ad lavandum, poneque illud inter tabernaculum testimonii & altare. Et missa aqua lavabunt in ea Aaron, & filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Deo, ne forte moriantur. Et Exodi XL. v. XXX. Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonii & altare, implens illud aqua. Lavantque Moyses & Aaron ac filii ejus manus suas & pedes, cum in-  
gre-



grederentur tectum fœderis, & accederent ad altare, sicut praeceperat Dominus Moysi. Præceptum tamen hac de re Sacerdotibus datum singulare annotavit R. Moses Bar-Nachman Gerundensis Excellentissimo. Sauberto *de Sacrificiis eap. IX.* laudatus Ceterum ne hyberno tempore nuditas pedum Sacerdotum infestaret valetudinem, conclave tum habebant, quod calefieri poterat, eoque pavimento calefacto inambulabant. Videatur Codex Middoth. *cap. I. §. VI.* cum notis Constantini L' Empereur.

§. V. De Judæorum ergo Sacerdotibus certum, in celebrandis sacris incessisse nudis pedibus. Sed sunt qui idem velint de reliquo populo, allegantes sequentia Juvenalis e satyra VI.

----- deinde adamas notissimus, & Berenices  
In digito factus pretiosior. Hunc dedit olim  
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori  
Observant ubi festa mero pede sabbata Reges.

Mero pede, hoc est, nudo, ut omnes interpretantur: ad cuius imitationem Prudentius dixisse videtur *calcem meram* Peristeph. hymno x.

Vix hæc ediderat, relaxat ipse

Indumenta pedum, velut Moyses

Quondam fecerat ad rubum propinquans.

Non calcare sacram cremationem,

Aut ad stare Deo prius licebat.

Quam vestigia pura figerentur.

Stabat calce mera,

Neque tamen illud Satyrici plus probat, quam festis diebus, ac Sabbato imprimis religiosa Judæorum Reges celebrasse nudipedalia. Et forte finxit hæc, qui Judaica tantopere risit Juvenalis: nisi malis dicere singularem Berenices historiam hic indigitari, quam Josephus *de Bello Judaico lib. II. cap. XV.* consignavit. *Venerat Hierosolymam, inquit ille, ut vota Deo solveret. His enim, qui morbo, vel aliis necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies, antequam immolent hostias: abstinere quoque vino & capillos radere. Quem morem Berenice regina illis exercens*  
die-

diebus, nudipes (γυμνόπους) ante tribunal stetit, deprecans Florum. Sed præter quod nihil honoris habitum, etiam de vita sua periclitata est. Egesippus de Urbis Hierosolymitanæ excidio lib. II. cap. VIII. Florus in conspectu Beronices, quæ soror Agrippæ Regis, ad templum religionis causa venerat, acerbissima cæde in populum sæviebat: nec obsecranti deferendum arbitratus, cum inservientem religioni nudis pedibus adstantem cerneret. Jacobus Bonfrerius Commentariis in Exodum hanc de Berenice historiam ad votum Nazaræatus refert: quod libens admitterem, modo vel Bonfrerius, vel alii ex sinceris Judæorum antiquitatibus demonstrassent, Nazaræis una cum aliis ritibus recepta quoque fuisse nudipedalia: quod nondum memini me legere. Quamobrem rectius computaverim nudipedalibus Judæorum inter cetera jejunii solemnia usurpatis: quæ & D. Leo tangit Serm. IV. de Jejunio: *Habeant illi nudipedalia sua, & in tristitia vultuum ostendant otiosa jejunia.* Sed de his aliisque Judæorum Nudipedalibus capite sequenti dispiciemus.

§. VI. A Judæis vero procul dubio supersticiosa Nudipedalia sua mutuati sunt Gentiles, apud quos occurrit primo Pythagoras in symbolis suis, illud ἀνυπόδη & ἴς ἡγή προσηύει, *Nudipes sacrifica & adora*, apud Jamblichum imperans: quod mystice sic nonnulli interpretantur, quod sacra animo casto, & a libidinibus expiato tractanda sint. Quo de, cum Androcydæ, Anximandri Milesii junioris, & Alexandri Polyhistoris in Symbolis Pythagoricis operam temporum injuria sustulerit, Philippus Beroaldus, Johannes Reuchlinus, Erasmus Roterodamus, Lilius Gregorius Gyraldus & Claudius Minos legendi. Quo autem fundamento Christianus Florens in *Vespas Aristophanis* hoc Pythagoricum ad unum tantum pedem determinaverit, nescio. Ceterum ex historia Mosaica illud petitum aperte fatetur Ambrosius lib. I. Ep. VI. scribens: *Legerat Pythagoras in Exodo, Moysi divino præceptum esse oraculo. Solve calceamentum pedum tuorum.* Id etiam præceptum Jesu Nave, ut detrite & popularis vie deponeret pulverem, qui viam Domini ambulare perseveraret. Enim vero non est dubium, quin Pythagoras pleraque symbolorum & dogma-  
tuum

tum suorum ex Israeliticis fontibus hauserit. Vnde Josephus  
*lib. I. contra Apionem: Pythagoras Samius cum sit antiquus quidem  
 etate, sapientia vero & divina pietate Philosophos omnes excellens, non  
 solum quæ nostra sunt, agnovisse manifestum est, sed etiam amulatus  
 ea ex multis apparet. Mox id Josephus confirmat testimonio  
 Hermippi, ex cujus libro I. de Pythagora & hæc affert: Hæc  
 autem agebat atque dicebat, Judeorum & Thracum opiniones imita-  
 tus, ac transferens in semetipsum. Dicitur enim vere, quod ille vir  
 multas Judeorum leges in suam transtulit Philosophiam. Quo  
 cum consentit Origenes lib. I. contra Celsum scribens: Fertur &  
 Hermippus in primo de legislatoribus prodidisse, Pythagoram suam  
 Philosophiam a Judeis traduxisse in Græciam. Quid? quod ex po-  
 pulo Judaico genus duxisse Pythagoram quorundam sit opi-  
 nio. Ambrosius lib. I. Epist. vi. Nam cum ex populo Judeorum, ut  
 plerique arbitrantur, genus duxerit Pythagoras, ex ejus disciplina  
 derivavit etiam magisterii præcepta. Quid? quod circumcisum  
 tradat Clemens Alexandrinus Stromatum lib. I. Pythagoras  
 cum Ægyptiorum Prophetis congressus est, propter quos etiam fuit  
 circumcisus, ut adyta ingrediens Ægyptiorum, mysticam disceret  
 Philosophiam, & cum Chaldaeorum & Magorum versatus est præ-  
 stantissimis. Sed quia hic Ægyptiorum meminimus, simul suc-  
 currit animo, Hierophantas eorum nudipedes incesfisse. De  
 his enim Silius Italicus lib. III.*

*Pes nudus, longæque coma castumque cubile.*

§. VII. Porro Lacedæmonii, ut Eulebius in Chronicis  
 refert, regnante Romæ Tullio Hostilio sacra nudipedalia in-  
 stituerunt. De iisdem Olymp. XXVII. Marianus Scotus:  
*Nudipedalia primum acta in Lacedemone.* Alia tamen ab his  
 forsân fuere Nudipedalia, quando pueri Spartani hymnis  
 Deos concelebantes, nudis pedibus incedebant in hono-  
 rem Spartiatorum, qui in Thyraïs ceciderant. Vnde prover-  
 bium natum est *γυμνοποδίαὶ Χάϊγε*: cuius meminit Apосто-  
 lius *Proverbiorum Græcorum centur. VI. LVI.* Videatur Plutarchus  
 in *Lycurgo*. Quamquam hoc adagium non ex instituto Lycur-  
 gi, sed aliunde derivet Pantinus *Notis ad Apostolum*.

§. VIII. Præterea matronæ Græcorum in honorem

D

Cereris

Cereris discalceatæ pererrabant urbem; teste Callimacho  
hymno in Cererem:

*Et quemadmodum discalceata & vittis exuta urbem per-  
ambulamus,*

*Sic pedes & capita omnis prorsus damni expertia habeamus.*  
Ad quæ Nicodemus Frischlinus: *Discalceata nimirum, apertis-  
que seu nudis incedebant capitibus, ut hoc ritu monerent, homines  
beneficio Cereris & pedes, caput etiam sine tegumentis salva habere,  
potiusque amictu, quam victu carere posse.*

§. IX. Cretes quoque Dianam religiosissime venerantes Βε-  
τοιαπτην generaliter nominantes, quod sermone nostro sonat virginem  
dulcem. Adem Virginis præterquam nudus vestigia nullus licito in-  
greditur. Solinus Polyhistor cap. XVI. Et ad hujus Dianæ  
ædem cum properaret Atalanta Parthenopæi mater, post-  
quam mortem filii in somnis præviderat, infausta illa so-  
mnia vivo flumine deterfura nudis ibat pedibus: ut canit  
Statius lib. IX. Thebaid.

*Tristibus interea somni turbata figuris  
Torva sagittiferi mater Tegeatis ephebè  
Crine dato passim, plantisque ex more solutis,  
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas,  
Purgatura malum fluvio vivente soporem.*

Vbi Glosæ Barthianæ: *Sacrificantium more nudaverat plantas.*  
Ineptam autem Lutatii interpretationem censet Caspar  
Gevartius *Electorum lib. II. cap. XII.* qui propterea Atalantam  
plantas solvisse censet *ex eo more, quo solita erat cum procis cursu  
certare:* uti jam proximo capite monitum. Gevartius autem,  
& nos cum eo, ad Nudipedalia religiosa, seu potius super-  
stitiosa referimus. Scaliger quidem *Notis ad Ceirin ritum* ex-  
in deducit, quia *Diana nudis pedibus erat, cum fugeret Minoen.*  
Sed Christophorus Adamus Rupertus *Observat. ad Flori l. I. c.*  
*XIII.* inquit: *Imo vero quia id honoris plerumque tribuerant iis,  
quos volebant religiosissime cultos.*

§. X. Ita matronæ Romanæ ubi vota Deæ Vestæ con-  
cipiebant, ejus ædem nudis pedibus adibant, Ovidius *Fastor.*  
*lib. VI.*

*Huc*

*Huc pede matronam nudo descendere vidi.  
Et mox: Hinc quoque lucus erat juncis & arundine densus  
Et pede velato non adeunda palus.*

*Velato, id est, calceato.*

*Sic Virgines ex sacerdotio Vestæ, Gallis Urbis imminentibus, nudo pede fugientia sacra comitabantur, teste Floro lib. I. c. XIII.*

§. XI. Sic etiam quando sacra Magnæ Matris Deum celebrarentur, ejusque statua per plateas & vicos circumferretur, nec Romani proceres nudipedes eam comitari dedignabantur. Prudentius *Peristeph. hymno XIV.*

*Nudare plantas ante carpentum scio  
Proceres togatos Matris Idææ sacris.  
Lapis nigellus evehendus effedo  
Muliebris oris clausus argento sedet.  
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis  
Pedes remotis atterentes calceis  
Almonis usque pervenitis rivulum.*

§. XII. Idem quoque passim a Romanis observatum, quotiescunque stupente cælo & arente solo pluviam publicis supplicationibus a Diis exposcebantur. Tertullianus *lib. de Jejunio*. Sed & omnem *ταπεινοφρόνησιν* Ethnici agnoscunt. Cum stupet cælum, & aret annus, *Nudipedalia* denunciant. Idem *Apologetici cap. XL. Aquilicia* (hæc erant sacrificia pro impetrandis imbribus) *Iovi immolatis, Nudipedalia* populo denunciatis.

§. XIII. Sed ut illa gentilium *κακοζήλεια* eo pateat magis, non immerito observandum, quod in sacris magicis veneficæ conspiciebantur nudis pedibus: quamquam sint, qui unum modo pedem repræsentent nudum, alterum vero tectum. Hoc pacto Virgilius l. IX. *Æn.*

*Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta.*

Et Ovidius l. VII. *Metamorph. de Medea*:

*Egreditur tectis vestes induta recinctas,  
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.*

Et de eadem, Seneca *Medæe II. II.*

*Tibi more gentis vinculo solvens comam,  
Secreta nuda nemora lustravi pede.*

Horatius tamen Canidiam utrumque pedem nudam inducit *lib. I Sat. VIII.*

*Vidi egomet nigra succinctam vadere palla*

*Canidiam pedibus nudis, passoque capillo.*

Et nescio quid magici sapiat illud Plinii *lib. XVII. cap. XXVIII.* Privatim autem contra erucas ambiri arbores singulas a muliere incitati mensis, nudis pedibus, recincta.

§. XIV. Noli tamen credere externos fuisse solos, quibus hæc nudipedalia in deliciis. Etiam Christianis veteribus quandoque placuerunt. Ut enim taceam, baptizandos ad Exorcistam nudis accessisse pedibus, teste Chrysostomo *Homilia ad baptizandos*; in solemnibus supplicationibus interdum nudipedes processisse docemur. Sic Michael Glycas *part. IV. Annalium Theodosium Junioem & Proclum Patriarcham Constantinopolitanum* discalceatos tradit prodisse in processionibus, quæ Constantinopoli indictæ, cum urbs gravi & diuturno terræ motu concuteretur: de quo terræ motu legendi etiam Paulus Diaconus *lib. XIV.* Nicephorus *Hist. Eccl. l. XIV. c. XLVI.* Jamjam laudatus quoque Diaconus auctor est Justiniano imperante concussa terra horribili motu, Antiochenos cives qui remanserant, discalceatos omnes litanias fecisse, clamantes *Κύριε ἐλέησον.* Et Concilium Moguntiacum anno *MDCCXII.* celebratum *can. IV.* Christianis in litanis nudipedalia præscribit. *Placuit nobis, ut Litania major observanda sit a cunctis Christianis, diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sancti Patres nostri instituerunt: non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinereque & cilicio induti, nisi infirmitas impediens.* Vbi quidam respexisse volunt Concilii Patres ad Imp. Heraclii memorabile factum, qui post receptam e manibus Persicis crucem Domini, volens gratias & preces Deo offerre, vestitu omni precioso exuto, nudis pedibus, suis humeris Dominicam crucem in locum Calvariae reportavit anno *MDCCXVII.* Unde Festum Exaltatæ Crucis & mos annuus coepit, ut adoraturi crucem discalceati incederent, teste Blondo *lib. IX. Dec. I.* Ejusmodi processiones in imperio Constantinopolitano diu perseverasse, vel ex Luithprandi *Cremon-*

Cremonensis Episcopi Sec. X. ad Nicephorum Imp. pro Otto-  
nibus Augg. legatione ab Henrico Canisio edita apparet. Se-  
cunda inquit Nicephorus; hora jam transit: προέλευσις, id est pro-  
cessio nobis est celebranda. ----- Non pigeat me προέλευσιν ipsam de-  
scribere, & Dominos meos audire. Negotiatorum multitudo copiosa  
ignobiliumque personarum, ea solennitate collecta, ad susceptionem &  
laudem Nicephori, a palatio usque ad Sanctam Sophiam, quasi pro  
muris, via margines tenuit, clypeolis tenuibus satis & spiculis vilibus  
dedecorata. Accessit & ad dedecoris hujus augmentum, quod vulgè  
ipsius potior pars, ad laudem ipsius, nudis processerat pedibus. Credo  
sic eos putasse, sanctam ipsam potius exornare προέλευσιν. Sed & o-  
ptimates sui, qui cum ipso per plebejam & discalceatam multitudinem  
ipsam transierant, magnis & nimia vetustate rimatis tunicis erant in-  
duti. Ottone I. in Germania regnante, Ecclesia Valleryslebi-  
ensis translata Magdeburgum. In hujus translationis me-  
moriā per multos annos in vigilia beati Laurentii, qua emigrarunt  
fratres, nudis pedibus Ecclesiam suam votis constructi repetiverunt.  
Krantzius Saxon. lib. IV. cap. XIV. Otto III. cum Archiepisco-  
patum Gnesnensem in Polonia instituturus religiosum eo  
iter susciperet, videns a longe urbem desideratam, nudis pedibus  
suppliciter advenit, & ab Episcopo ejusdem Vngero venerabiliter sus-  
ceptus, Ecclesiam introducit, & ad Christi gratiam sibi impetran-  
dam, Martyris Christi intercessio profusis lacrymis invitatur. Dit-  
marus Episcopus Mersburg. lib. IV. Idem eodem libro de  
Ludolpho Abbate Corbejensi: Pius abbas adoratorium speciale  
suimet rebus anxiiis asylum, nudis pedibus venit, & more solito in se-  
de aliis humanam fragilitatem destens, placavit Dominum. Idem  
lib. VII. de Eid Episcopo Misnensis Ecclesie: Crebro a suis  
pæne desperatus in stuba vix recreabatur, corpus suum nimis  
afflixit jejuniis, plus nudis pedibus, quam equo laborans. Heinri-  
cus III. viçio fugatoque Vngrorum Rege Aba, ut meritas Deo  
gratias ageret, deposito paludamento, sumtoque cilicio, item nudis  
pedibus porrecto humi pectore ac profusis coram legionibus lachrymis  
ante sacrosanctum & salutare crucis signum procidit, immortalem di-  
vine benignitati gloriam retulit. Antonius Bonfinius Rer. Vnga-  
ricarum Dec. I. lib. II. Sub eodem Henrico III. floruit Leo IX.

Pontifex de quo Sigonius de Regno Italiae lib. VIII. ad an. CIO LIV.  
Inter cetera sanctitatis viventis eius argumenta hoc quoque nume-  
ratur, quod, dum Romae ageret, tertio quoque die a Laterano in Vati-  
canum nudis pedibus tribus tantum clericis comitatus, silentio  
noctis procedere psallendo atque orando solitus fuerit. Anno CIO-  
LXIV. Verherus Comes villam monasterii Hirschfeldensis, quae di-  
citur Kirchberg, inconsulto Abbate ab Henrico IV. Germaniae Re-  
ge petiit & impetravit. Pro qua recipienda diuturnum agonem desu-  
darunt monachi, dimicantes adversus tanti hostis sevitiam, non  
armis carnalibus, sed jejuniis & crebris orationibus. Unde ille men-  
daciter magis, quam facete joculari solebat, magno munere dignum se  
esse apud Regem, qui monachos ejus languidos prius in opere Dei &  
tepidos, novis facibus adhibitis exsuscitasset, invitosque ad jejunia &  
nudipedalia coegisset. Lambertus Schafnaburgensis. Idem ad  
annum CIO LXXV. de Annone Coloniensi Archiepiscopo: Cre-  
bris jejuniis corpus suum macerabat, & in servitutem redigebat, per-  
noctabat plerumque in orationibus, & per Ecclesias, uno tantum pue-  
ro contentus comite, nudis pedibus discurrebat. Idem eod. anno:  
Cum nulla usquam humani auxilii spes eluceret, statuunt unanimiter,  
a Deo sibi deinceps querendum esse subsidium, qui solus tam obstina-  
tam Regis ferocitatem mollire, & rem implicitam expedire queat. Ju-  
bent ergo, ut per totam Saxoniam & Thuringiam depositis cultiori-  
bus indumentis, sacco & laneis vestiantur; cibo & potu statutis diebus  
abstineant; sumtus in pauperes pro sua quisque re familiari conferant;  
& per Ecclesias nudis pedibus discurrentes Deum communi lamen-  
tatione deprecentur, ut manum suam quae ubique humano cessante ad-  
jutorio sola jam possit opitulari, undique conclusis ad ereptionem eorum  
extendat. Excunte seculo XI. Hierosolyma a Christianis ob-  
sidione cingebatur. Die igitur statuta de publico decreto indictae  
sunt universo populo Letaniae, & assumtis crucibus & sanctorum pa-  
trocinis, Episcopi & clerus universus induti sacerdotalibus & leviticis  
indumentis, nudis pedibus, & cum multa devotione populum sub-  
sequentem, usque ad montem Oliveti praecesserunt. Guilielmus  
Tyrius Belli Sacri lib. VIII. cap. XI. Otto Frisingensis Chronic. lib.  
VII. cap. IV. Civitatem sanctam obsidione clausam cum capere non pos-  
sent, habito consilio, humilitatis Magistrum imitantes nudis eam  
pedibus



pedibus circumire disponunt. Dodechinus Appendice ad Marianum Scotum ad ann. c100. Cumque in obsidione multum exercitus laboraret, maxime propter inopiam aquae, habito concilio Episcopi & Principes circummeundam esse civitatem nudis pedibus praedicaverunt, ut ille, qui pro nobis humiliter eam ingressus est, per humilitatem nostram pro se ad iudicium de suis hostibus faciendum nobis eam aperiret. Iisdem prope verbis utitur Conradus a Lichtenaw, Abbas Vrspergensis in Chronico ad an. c10. Et tangit quoque Engelhusius in Chronico. Idem postea factum capta urbe, ut iterum Tyrius ejusdem libri cap. XXI. Tandem vero urbe ad hunc modum ordinata, armis depositis, in spiritu humilitatis & animo contrito, nudis vestigiis, lotis manibus, & sumtis mundioribus indumentis, cum gemitu & lacrymis loca venerabilia, quae Salvator propria voluit illustrare & sanctificare praesentia caeperunt cum omni devotione circumire, & cum intimis deosculari suspiriis. Et nonnullis interjectis: Illi flexis nudisque genibus, cum singultibus & precordialibus suspiriis loca circuibant venerabilia. Ejusdem ritus mentio iterum fit apud laudatum Abbatem Vrspergensis: Summo autem mane, inquit, cum letaniis a sepulchro Domini nudi pedes processimus. Item apud Auctorem Tractatus de Revelatione Capitis B. Johannis Baptista: Igitur consilio inventum est, ut exutis vestibus & calceamentis suis in itinere, & cilicio nudis plantis incedentes, sicuti oraculo divino admonitus fuerat, obviam famulis Dei procederent. De sacris ejusmodi Nudipedalibus locus etiam exstat Epistola cii. Nicolai de Clemangiis: Et insuper antiquo Patrum more jejunia illis & abstinentias atque afflictiones alias imponere, atque ita sordibus peccatorum, quantum fragilitas humana patitur, generaliter emundatis, solennes tunc processiones ad caelestem iram placandam misericordiamque implorandam indicere, quibus in jejuniis & fletu, in cinere & cilicio, aut pedum nuditate, ad dandum alteris exemplum interessent ministri. Et haec de Christianorum religiosi nudipedalibus sufficiant: quorum partem laudes, partem propter εὐλοθεῖαν ac superstitionem iis mixtam vituperes.

§. XV. Interea peculiariter hoc observandum, quod Saracenorum Nudipedalia in templis omnino sapere videantur

tur sacram originem, sed in superstitiosum cultum conver-  
sam. Nunquam enim Moschæas suas ingrediuntur, nisi detra-  
ctis calceis; & loca quæ Christus præsentia sua consecravit,  
non adeunt ipsi, neque adire patiuntur Christianos, nisi ex-  
calceatos. Lyranus ad Exodi cap. III. hoc de more sic scribit:  
*Hinc modus erat antiquorum, & specialis Ebræorum, non ingredi sacra  
loca pedibus calceatis. Et inde quoque Sacraceni non audent intrare lo-  
cum orationis, nisi discalceati.* Bellonius ita *Observat. lib. III. c. XXXI.*  
*Meridie templum ut primum ingrediuntur; sed lotis prius pedibus,  
manibus, obscœnisque membris anterioribus & posterioribus, item-  
que aqua capiti inspersa: nudis item pedibus templum intrant, &  
calceos ad templi fores relinquunt. Si vero dum peregre proficiscun-  
tur, in loca incidant aquæ expertia, Mahometus illis concedit caput,  
manus atque calceos terræ pulvere adspargere.* Gemina testatur  
Johannes Baptista Montalbanus Bononiensis *Rerum Turci-  
carum Commentario: Ingredientibus templa, ait, deponende sunt  
exteriores soleæ, interioribus tantum retentis.* Has interiores so-  
leas a Turcis *Mesth* vocari, Bartholomæus Georgewitz *Epi-  
tome de Turcarum moribus* auctor est. Præterea apud Turcos  
monachi quidam nudis incedunt pedibus, magnam præ se  
ferentes patientiam. Videatur *Septemcastro de Relation. Turci-  
cis & Richerius de moribus Turc. l. I.* Quod apud Persas item sa-  
crata loca non nisi nudis pedibus visitentur, observat Nobi-  
lissimus Adamus Olearius *Itinerarii Moscovitico. Persici lib. IV.  
cap. XXV.* Christiani Æthiopes, qui multa Judaica admiserunt,  
morem hunc servant quoque, ut testis est apud Damianum  
Goënsen Æthiopiæ legatus, hoc sermone: *Nobis non datur  
potestas adeundi templum, nisi nudis pedibus, neque nobis licet in  
ipso templo videre, obambulare, aut de rebus profanis loqui, nec spu-  
ere aut screare in in ipso templo. Quia Ecclesiæ Æthiopice similes  
sunt monti Sinai, ubi Dominus locutus est Mosi: dicens: Moses, Mo-  
ses, exue calceamenta tua, quoniam terra, quam pedes tui premunt,  
sancta est.* Exinde etiam petitum, quod hodieque præ syna-  
gogæ foribus Judæi ferrum habeant muro impactum, quo  
singuli calceos suos, si lutum contraxerint, repurgare debent,  
vel crepidas, si eas gestent inquinatas, omnino exuunt, re-  
ferente Buxtorfio *Synagoge Judaica cap. V.*

res

§. XVI. Denique inepti erant Moysis ac Josuæ imitato-  
 res, qui mandatum de exuendis calceis ad hos Duumviros  
 sigillatim pertinens tam laxè interpretabantur, ut ipsi exem-  
 plum inde capientes nudipedes incederent. In hæreticorum  
 catalogum hujus farinae homines retulere Augustinus &  
 Philastrius: quamvis eorum institutum non tam hæresin,  
 quam vanam quandam superstitionem saperet. Sed en ipsa  
 Ecclesiæ Doctorum verba. Et Augustini quidem *lib. de heresi-  
 bus cap. LXVIII.* sic habent: *Est alia heresis nudis pedibus semper  
 ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Mosem, vel ad Josue:  
 Solve calceamentum de pedibus tuis. Et quod Propheta Esaias nudis pe-  
 dibus jussus fuerit ambulare. Inde ergo heresis est, quia non propter  
 corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia taliter intelli-  
 gunt.* Philastrii vero hunc in modum, hæresi LXXX. *Excalceato-  
 rum est heresis, quæ excalceatos ambulare debere homines asserit,  
 quod sub Mose, inquit, dictum est: Solve calceamenta tua. Et  
 quod Esaias ita ambulaverit tribus annis, quæ magis humana, ac va-  
 na superstitionis sunt, non traditionis sanctorum ac Domini nostri  
 JESU CHRISTI jussionis, Imperii, ejusque potestatis.* Tangunt  
 eosdem sectarios Honorius Augustodunensis fine libelli *de  
 heresibus,* & Isidorus Hispalensis *Origin. lib. VIII. cap. V.*

§. XVII. Neque injuriam fecerimus, puto, sectæ inter  
 Pontificios ex Franciscana familia, quæ a nudis pedibus, Dis-  
 calceatorum. Germanice *der Barsüßer* nomen accepit, si huic  
 classi computaverimus. Certe & hi homines religionem quæ-  
 runt in pedibus non plane nudis, at non nisi sandaliis ligneis  
 plantam tegentibus. An recte de iis non nemo cecinerit,  
 viderint ipsi:

*Cordula nudosa, pes nudus, cappa dolosa.*

*Hæc tria Nudipedes ducunt ad tartara fratres.*

Juvat hoc loco de iisdem repetere iudicium cujusdam Prin-  
 cipis, de quo Heidfeldus in *Sphynge cap. VIII.* Minoritæ ex ordi-  
 ne *S. Francisci crepidis seu calopodis* (calceamenti genus est ex ligno ca-  
 vato confectum) calceati incedunt, asinino colore vestiti, quorum non-  
 nullos cum quondam Princeps quidam ad se tendentes vidisset, sic  
 quærit: *De qua arborum specie creditis esse illa calopodia? Aliis se i-*

E

gno-

gnorare fatentibus, ipse sic respondit: Calopodia ista sunt de ea arbore cui Christus in Evangelio maledixit Matth. XXI. v. 19. Jam non amplius in eternum ex te quisquam fructum manducet: notans istorum lignipedum hypocrisin, quae Deo abominanda, & hominibus pestilentissima sit.

CAPVT III.  
DE  
NVDI PEDALIBVS  
LVGENTIVM AC POENI-  
TENTIVM.  
SVMMARIVM.

**P**ropositio capituli. II. Discalceatio apud Iudeos mœroris signum. David nudipes II. Samuel. XV. v. 30. Achab. I. Reg. XXI. v. 27. An & Esaias c. XX. v. 2. 3. Recentiorum Iudeorum in luctu nudipedalia. III. Discalceatio olim usurpata in funeribus Iudeorum. Ezech. XXVII. 17. illustratus. Quid hodie apud Iudeos moris. IV. Balduinus de Romanorum funeribus idem affirmans rejicitur. V. Iudeorum Nudipedalia in festo Expiationis. VI. An & Graeci in luctu nudipedes. VII. In Ecclesia antiquitus lugentes ac poenitentes nudis pedibus. VIII. Pluribus exemplis id ex Historia Germanica probatur. de Henrico Ottonis M. fratre. de ejusdem filio Ludolpho. de Thiedrico, Esicone & Wirinbario Comitibus. de aliis sub Henrico II. de seditiosis Ravennatensibus, Romanis & Coloniensibus. de Proceribus Saxonibus sub Henrico IV. de excommunicatis ab Hildebrando Papa. De ipso Henrico IV. quem scurriliter tractavit Pontifex. de Friderico Bojarie Duce. de Monachis Sereni-Montis. de Henrico de Reekin. de Wildebrando Praeposito Biverrano. IX. Nec hodie is mos plane desit.

§. I.

**P**ostquam de religiosis Veterum Nudipedalibus actum, nunc ad considerationem eorum nos convertimus, qui ad significandum luctum poenitentiamque publicam egerunt

gerunt nudipedes. Quamvis autem & his non raro videatur aliqua subesse religio, malumus tamen peculiari sectione hanc operam expedire.

§. II. Nimirum apud Judæos discalceatum in publicum prodire signum aliquando fuit mœroris & luctus ingentis. Hinc & David exul incedebat nudis pedibus & operto capite II. Samuel. XV. v. XXX. quem Davidis habitum Salvianus graphice describit l. II. de Providentia: *Jam si addenda est, inquit, ipsius fugæ facies, quale illud fuit, cum tantus, & ex tanti nominis cunctis Regibus altior, mundo major, omnes admodum suos cum paucissimis suis fugeret, in comparatione sui egestuosus, in comparatione sui solus, fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu, operto, inquit Scriptura, capite, & nudis pedibus incedens; super istis prioris status a seipso exulans, pene jam post se vivens, dejectus usque in servorum suorum, vel quod grave est, contumeliam; vel quod gravius, misericordiam: ut vel sibi compateretur, vel maledicere publice conniveret.* Achab quoque metu perculsus ac pœnitens, ex mente Chaldæi paraphrastæ incessit nudipes I. Reg. XXI. v. XXVII. quo cum faciens Josephus *Antiquitat. Judaic. lib. VIII. sine cap. VII. inquit: Tum demum Achabum ejus facinoris pœnitentia subit, & indutus saccum, nudisque pedibus a cibo abstinuit, peccatum confitens, & Deum ita placare cupiens.* Nec id B. Chemnicio improbatur part. IV. *Examinis Concilii Tridentini ita commentanti: Achab jejunans scindit vestimenta sua, operit carnem suam sacco, & dormit in sacco, & incedit miserabiliter, vel lento gradu, vel nudis pedibus, vel capite velato.* Hæc enim omnia significat vocabulum **DN.** Referunt huc nonnulli Prophetam Esaiam ex mandato Dei discalceatum cap. XX. v. II. III. Verba Prophetæ ita habent ex versione Vulgati: *In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaie filii Amos, dicens: Vade, & solve saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus & discalceatus. Et dixit Dominus: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, & discalceatus, trium annorum signum & portentum erit super Ægyptum & super Æthiopiam.* Veruntamen id egestatem potius præsignificare debuit, quam mœrorem. Quamquam (ut optime monet Dn. Martinus Geierus de *Ebraeorum luctu cap. XV. §. IV.*

si conjunxeris utrumque, fortasse non aberraveris. Judæis certe veteribus ita fuisse in more positum, monuit Hieronymus Consolatoria ad Paulam de Blæsillæ obitu. *Flentesque hodie Judei, & nudatis pedibus in pulvere volutati sacco incubant, ac ne quid desit superstitioni, ex ritu vanissimo Phariseorum primum cibum lentis accipiunt, videlicet ostendentes, quæli edulio, primogenita perdidertint.* Ex recentioribus Judæis ritum hunc confirmat Rabbi Moses Maimonides eleganti opere, quod *Jad Chafaka* inscriptit c. V. §. I. *Illæ sunt res quæ lugenti prohibentur die quidem primo, ex sententia Legis, diebus autem reliquis ex traditione majorum: nimirum I. tonderi, II. lavare vestes, III. balneare corpus, IV. ungi oleo, V. maritaliter cohabitare, VI. Calceos induere, VII. facere negotium, VIII. legere in libro Legis, IX. erigere (vel ventilare) lectum, X. nudare caput suum, XI. Salutare.* Idem §. VI. *Vnde est, quod lugenti prohibita sandaliorum assumptio? Eo quod Ezechieli (ad dissimulandum luctum) dictum fuerit: Calceum tuum appones pedibus tuis. Vnde generatim cuius (calceos in luctu) prohibitos fuisse elicitur. Si iter quis faciat, calceos induit, ac abit; ac cum in urbem se recipit, eosdem rursus deponit.*

§. III. In primis autem hæc Nudipedalia in funeribus videntur usurpata: id quod ex Ezechielis XXIV. v. 17. apparet, ubi jubetur Propheta nec in summo luctu ob uxorem demortuam ponere calceos. Quamobrem Matthias Flacius hoc adductus loco, parte I. *Clavis S. Scripture* sic commentatur: *In funebri luctu soliti sunt non uti coriaceis calceamentis diebus XXX. nudis pedibus efferre & comitari funus, flebantque & lamentabantur, suam miseriam deplorantes, & mortuum celebrantes clara voce.* Nec plane istiusmodi Nudipedalia apud hodiernos Judæos desuisse, testatur Buxtorfius *Synagoga Judaica* cap. XXXV. *Qui Principis funus deducunt, sive filii, sive proximi agnati per VII. dies humi nudis pedibus sedere debent.* Et Paulus Fagius ad Deuteron. XIV. I. *Nudis pedibus sequuntur funus.* Nec abit Minhagim. cap. ult. verbis a Dn Geiero laudato loco allatis: *Wenn das Meth (verstorbene) noch nicht zu Kefura (Grab) ist kommen/ darff der afel (Leidtragende) nicht die Schuh ausshun. Postmodum inchoato semel luctu, muß er die Schuh ausshun/ und soll sein Weib stehen lassen.*

§. IV.

§. IV. Idem in Romanis funeribus usu fuisse receptum, ex Svetonio probare conatur Balduinus de *Calceo antiquo cap. xxiii.* Sic enim Scriptor Historiæ Augustæ cap. c. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibusque nudis, ac in Mausoleo condiderunt.* Verum equidem id pro reverentiæ potius ac ταπεινοφροσύνης indicio habuerim cum Kirchmanno *lib. III. de Funeribus Romanor. cap. VI.* quando id in aliis funeribus usurpatum non inveniamus.

§. V. Præterea Judæi hunc morem observarunt in solemni illa atque annua criminum deploratione in festo Expiationis: quemadmodum ex libro Talmudico *Ioma cap. VIII. §. I.* constat. *In die expiationis interdicitur manducatio, bibitio, lotio, unctio, sandaliis induitio, debitum conjugale. Rex tamen & sponsa lavant facies suas, & Puerpera sandalia vel calceos induit, secundum sententiam R. Eliezer: quamquam Sapientes prohibeant.* At tamen Robertus Sheringham in *Notis* ad hunc locum id de coriaceis intelligit. Poterant enim impiliis vel foccis ex panno aut quavis alia materia confectis uti, cum perinde hoc sit, ac si aliquis discalceatus incederet: id quod ex Arba turim & Menasse Ben Israel comprobatur. Eadem quæ in Misna leguntur, habet ferme & Jonathan Paraphrastes ad Levit. xvi. xxix. *Affligetis animas vestras, abstinendo a cibo, & potu, item a procreatione liberorum, & ab abstersionibus, & a calceamentis.*

§. VI. An & Græcis solenne fuerit in ludæa agere nudipedes, nondum certo ausim affirmare. Apud Nonnum tamen in Dionysiacis *lib. V.* Avtonoe Αἰάξονα filium plangens inducitur

----- *materni affectus dolore*

Ac iterum: *Discalceata, sine vitta. (Νήλιπος ἀνεγείδμενος.)*  
*Vagantibus vero pedibus pertransiens dorsum sylvæ*  
*Asperi pede calcavit difficilia aditu dorsa montis,*  
*Soluta tænica, sine calceis. (Αυσιλίτων, ἀπέδιλος.)*

Apud eundem *lib. X.* ---- *In arborea domo*  
*Rhyndacis aquam portans sine sandaliis gemit puella.*  
*Najades vero flebant.*

Mortem scilicet Hymni a Nicæa interemti.

§. VII. Ex Synagoga Judaica, ut puto, hic ritus transi-  
vit in Ecclesiam, qua in lugentes ac poenitentes quandoque  
conspicimus nudipedes. Et de poenitentibus quidem diserte  
ita cautum Concilio Agathensi: *In capite Quadragesima omnes  
poenitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt poenitentiam,  
ante fores Ecclesiae se representent Episcopo civitatis, sacco induti, nu-  
dis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu & vul-  
tu protestantes.* Habentur hæc in Jure Canonico Distinct. L.  
Can. LXIV. & citant ex Agathensi Burchardus Wormatiensis  
*lib. XIX. c. XXVI. Decretor.* Ivo Carnotensis *part. XV. c. XLV.* &  
Rhebaldus Cardinalis libro *de poenitentia publice non iteranda,*  
Regino Prumiensis *lib. I. de Disciplina Ecclesiastica cap. CCXCI.*

§. VIII. Non dubium est plura hujus moris in Patrum  
scriptis exstare vestigia, quæ tamen nostrum nondum fuit  
excutere. Interim in historia Germanica non pauca observa-  
vimus exempla, quorum cognitionem benevolo lectori non  
ingratam fore existimamus. Seculo X. Ottoni I. rebellabat  
Henricus frater. Tandem vero extinctis sociis ad frugem re-  
versus, *quum aliud quid faceret ignoraret, assumtis secum, quorum  
auxilio juvaretur, quibusdam Episcopis, die quadam nudis pedibus  
Regis ad pedes ignorante ipso pervenit, supplexque misericordiam im-  
ploravit.* Liuthprandus *Historiar. lib. IV. cap. XIX.* Eidem Ottoni re-  
bellis erat Ludolphus filius. At demum interventu Principum  
pacem obtinuit. *Exercitandi gratia venationem agens Rex in loco  
qui dicitur Suvelaun (forte Salfeldium) filius Patri nudatis plan-  
tis prosternitur, intima tactus poenitentia, oratione flebili, Patris pri-  
mum, deinde omnium presentium lacrymas extorquet. Amore itaque  
paterno susceptus in gratiam, spondet se obtemperaturum, consensu-  
rumque omni paterne voluntati.* Witichindus *Annal. lib. III.*  
quem sequitur Conradus Urspergensis. Ditmarus licet o-  
mittat nudipedalia, in summa tamen rei consentit his verbis:  
*Posthæc Ludolphus cum Hugone poenitentia ductus, patris pedibus  
advolvitur, de præteritis veniam, & de presentibus supplex poscit e-  
mendationem, de futuris quoque cautelam spondit.* Apud Ditma-  
rum Episcopum Mersburgensem aliquoties illustres viros  
veniam delictorum petentes nudipedes deprehendimus. Sic  
initio



initio lib: IV. Henricus Dux Bojariæ ad Corbejam venit, ibique Thiedricum & Esiconem Comites ac confratres nudis pedibus veniam postulantes dedignatur suscipere. Quod hi agre ferentes abierunt, cognatos suimet amicos a Ducis ministerio toto mentis nisu amovere studentes. Factum hoc anno MCCCCLXXXIV. Eodem libro agitur de Wirinhario Lutharii Comitis filio, qui Eccardi I. filiam Luidgerdam rapuit, indignante admodum Mathilda Quedlinburgensi Abbatisa. Quæ cum hoc nomine conventum indixisset Magdeburgi, confluyente maxima illuc multitudine, Wirinharius cum suis cooperantibus nudis provolvitur pedibus, uxorem reddit, veniam de commissis sibi suisque, auxilio Principum promissa emendatione promeruit. Lib. VII agit de legato Boleslai Poloni Sbigneo ab Hermanno Misniæ marchione ad Henricum II. Cæsarem deducto. In hac narratione sequentia, quamvis obscuriora, legas. Interea Herimannus Marchio Pascha duxit cum socero, & inde vix solutus ad Imperatorem cum nuncio ejusdem diu expectatus venit. Idem legatus mentiri semper solitus, ad Cæsarem in occidentali parte plus ad perturbandum, quam ut simulaverat, ad pacificandum, ab instabili Seniore suo missus est. Quem cum consociis suimet Imperator suis familiaribus committens, generos suos gratiam ejusdem nudis pedibus quærentes misericorditer suscepit, & tunc demum Sbigneum ut hæc cerneret, presentari jussit, & publice Domino ejus respondit. Seculi undecimi anno XXVI. Ravennatenses seditionem moverunt contra Conradum II. Germaniæ Regem, quæ tamen brevi virtute militum compressa. Mane autem facto Ravennates qui remanserant, in cilicio & nudis pedibus, atque exertis gladiis, ut lex eorum præcipit, dictis civibus, ante Regem venientes, sicut ipse præcepit, omnibus modis satisfaciebant. Wippo Presbyter in vita Conradi. Idem ad an. CIOXXVII. Postera die Romani, qui seditionem commoverant, ad Imperatorem venientes, nudatis pedibus, liberi cum nudis gladiis, servi cum torquibus vimineis circa collum quasi ad suspensionem preparati ut Imperator jussit, satisfaciebant. Sub Henrico IV. anno CIOXXIV. ingens seditio Coloniam Agrippinam turbavit, quam cum armis compescuisset Anno II. Archiepiscopus, complices protinus omnes nudis pedibus lanceis ad carnem induti processerunt

vix

vix & egre impetrata pace multitudinis, quae circa Episcopum erat, ut hoc tuto facere sinerentur. Lambertus Schafnaburgensis. Anno sequenti fervente adhuc Henrici cum Saxonibus bello, Proceres Saxoniae inter alia Regi responderunt: Quod si obstinatum adversus omnes preces & supplicationes animum gereret, se deinceps contra eum nec arma laturos, nec aciem instructuros, sed nudis pedibus venienti obviam processuros, & sententiam quamcunque vel iratus dictasset, porrecto jugulo excepturos. Idem Lambertus. Anno CIO LXXVII. ut iterum narrat Lambertus, Episcopi & laici, quos Papa excommunicaverat, quosque Rex (Henricus IV.) hujus rei gratia a latere suo extrema necessitate compulsus amoverat, elusis custodibus, qui clusas obsidebant, in Italiam illi pervenerunt, repertoque Papa in Canusio, veniam praesumt & rebellionis, atque ut excommunicatione absolventur, nudis pedibus, & laneis ad carnem induti suppliciter postulabant. Mox ipse Henricus Rex Canusium venit, ut iussum fuerat, & cum castellum illud triplici muro septum esset, intra secundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu suo, deposito cultu regio, nihil praefrens regium, nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus, jejunus mane usque ad vesperam perstabat, Romani Pontificis sententiam praestolando. Bruno monachus in Historia belli Saxonici: Henricus laneis indutus, nudis pedibus ad Apostolicum venit, dicens se plus amare regnum coeleste, quam terrenum, & ideo poenitentiam quamcunque sibi vellet imponere, se humiliter suscepturum. Atque Hildebrandus quidem tantae arrogantiae inflatus est typho, ut quasi re bene gesta in Epistola quadam ad Germaniae Proceres non verecundetur scribere, Regem per triduum ante portam castris, deposito omni regali cultu, miserabiliter, utpote discalceatum & laneis indutum perstitisse. Idem Domnizo Poeta ster talibus contestatur versiculis:

*Ante suam faciem concessit Papa venire  
Regem cum plantis nudis a frigore captis  
In cruce se jactans Papae, sepiissime clamans.  
Parce Beate Pater.*

Fridericus Dux Bojariae, postquam invito Lothario Rege Viam muniverat, & cives in Dominum armaverat, a sociis derelictus, ut amissam gratiam recuperaret, nudis pedibus eundem

eundem adire coactus est. Sic enim Auctor Chronici Montis-Sereni a Cl. Madero editus ad ann. c10 cxxxiv. *Dux a pluribus sibi fauentibus derelictus, neecessitate coactus, nudis pedibus Imperatorem adiit, & per Imperatricem gratiam ipsius obtinuit.* Anno c10 ccx. amici Tiderici præposituræ Sereni Montis inhiantes tandem ad preces convertuntur, primo quidem hoc obtinere volentes, ut absolute & sine pœna qualibet reciperentur, & Tiderico Hospitalis officium redderetur. Quod cum penitus impetrare non possent, tandem eo contenti fuerunt, ut ceteris cum disciplina debita receptis Tidericus tantum nudis pedibus & habitu nigro veniam petens, nihil pœna alterius sustineret: ut iterum habet Auctor eiusdem Chronici. Idem tamen Tidericus per vim & fraudes gratulatus est ad Præposituram. Huic cum aliis adversatus fuerat Henricus de Reekin Canonicus. Eo quidem ex captivitate Wernigerodana cum pace redeunte, Præpositus ab ingressu claustris prohibere conatus est. Quod cum implere non posset, eo quod plures de fratribus ei fauerent, districtè eum præcepit ab omnibus evitari. Cujus motum ille mitigare cupiens, nudis pedibus in veste nigra scopam ferens, cum Priore & quodam alio fratre seniore, pedibus ejus prostratus petebat, ut si quid peccasse ostensus fuisset, de hoc eum in claustro pœnitentiam agere pateretur. Idem ad annum c10 ccxiii. Alius porro Tidericus antea parochianus Capellæ veteris, post Hospitalis, a Tiderico Præposito læsus cum socio quodam ad Pontificem profectus, Præpositum accusat graviter. Interea legati a Marchione veniunt, qui suadebant fratribus, ne litigandi intentione deposita appellationis consensui renunciarent, & ipsis mediantibus se concordari cum Præposito paterentur. His vero ad compositionem quidem faciendam eorum voluntati acquiescentibus, ut saltem usque ad duorum, qui profecti erant, reditum a vexatione Præpositi respirarent, sed verbo renunciandi omnino contradicentibus illi ipsum verbum, ne impedimentum eorum intentioni faceret, dissimulantes, eisque ut nudis pedibus scopas ferentes, coram Præposito veniam peterent, injungentes, & e diverso, ut Præpositus hac satisfactione contentus, eis reconciliaretur decernentes, illam visi sunt discordiam terminasse. Videatur laudati Chronici annus c10 ccxix. Sic ad annum c10 ccxxv. memorat idem auctor, quomodo

Wildebrando Præposito Biverrano, quod Pontificium legatum contumelia gravi affecerat, vix ab Archiepiscopo Magdeburgensi, & ceteris qui aderant Episcopis venia impetrata sit, cum prius ipse discalceatus & scopam ferens legati se pedibus prostravisset.

§. X. Hunc veterum morem etiamnum alicubi observari certum. Et refert Caspar Finckius *Quæstion. illustr. Theologicæ. sect. II. quæst. XXXI.* non fuisse quondam ad sacram synagoga admissos blasphematores, nisi solis tibialibus. Sic perjurum quendam Altenburgi nudipedem publice poenituisse memini.

## CAPVT IV.

DE

# RITV EXCALCEANDI IN JVRE LEVIRATVS ET CON- TRACTIBVS VETERVM JVDÆORVM, SVMMARIVM.

**S**edes prioris excalceationis Deuteron. XXV. 5. seqq. II. Tractatus in Misna de jure leviratus. Rambam de leviratu & discalceatione. Quale calceamentum adhibitum. Jus leviratus abolitum manente excalceatione. III. Discalceatio illa ignominiosa quid denotavit. IV. Sedes posterioris Ruth IV. 7. V. Quidam hos ritus confundunt, ac ipse Josephus, cujus lectio emendatur. VI. Boozus non fuit frater mariti Ruth. VII. Duodecim notæ ex Serrario, quibus differunt hi ritus. Abarbenel laudatus. VIII. Posterior ritus in majoris momenti contractibus locum habens quid designavit. IX. Q. uter contrahentium exuerit calceum. Drusii & Seldeni fluctuatio. Cœlibes apud Judæos an discalceati. Probabilius est cedentem alteri porrexisse calceum. Clodii dissertatio de hoc ritu laudatur.

§. I.

**S**Vper illa, quæ hætenus in considerationem venire variorum populorum Nudipedalia duo alia in sacro codice occurrunt, quorum altera in solenni renunciatione de non ducenda defuncti fratris uxore, altera in  
con-

contractibus; præcipue connubialibus populi Judaici erant recepta. Priora fundamentum habent Deuteronomii XXV. v. V. seqq. posteriora in libello Ruth. c. IV. v. VII. Et ut de priori ritu primo dicamus, juxta legem forensẽ levir cum fratri sine mascula prole extincti uxore nuptias inire debebat, ut ne nomen fratris sui prorsus interiret in familia. Quod si recusaret, coram judicio publico pes ejus a fratria excalceabatur, consputa simul facie, additoq; cognomine Discalceati. Concepta legis verba latine ita habent: *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui: & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. Sin autem noluerit recipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & interpellabit majores natu, dicetque: Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel, nec me in conjugium sumere. Stantimque accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit, Nolo eam uxorem accipere; accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius & dicet: Sic fiet, qui non edificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel domus Discalceati.*

§. II. De hoc jure fratriam ducendi Talmudici integrum in Misna tractatum protruserunt sub titulo *ירמות* *Leviratus*, & Rabbi Moses Ben Majmon conscripsit dissertationes de *Leviratu & Discalceatione*. Et in illo quidem cap. XVII. prolixè exponitur, quodnam calceamenti genus hic fuerit requisitum. Buxtorfius autem *Synagoga Judaica* c. xxx. calceum auriculis, ligulis, fibulis, peculiari modo compactum afferri dicit, quem dextro pede nudo indutum a leviro recusante, fratria dextra manu solvat. Ceterum quomodo sequiori ævo decreverint Rabbini, neminem amplius fratris mortui uxorem ducturum, sed separationem per excalceationem fieri debere, & quæ ratione glosa leviro fuerit separata, idem describit Buxtorfius. Quod attinet libellum *Excalceationis* testimonii loco, quod libere alii nubere possit, a leviro recusante concessum, ejus formulam exhibet Maimonides, una cum *Instrumento pactorum dotalitiorum*.

§. III. Inde collectu facile, ignominiosam fuisse hanc excalceationem: & quidem dum alter ipsi (secundum Judæos, dexter) exuebatur calceus, tanquam domus pedis, innuebatur injuria in fratrem: quippe quod suæ familiæ nimium studiosus fratris domum ædificare renueret: imo dum summa & ima pars corporis ignominia notabatur, eum totum, quantum quantum sit a capite ad calcem probris atque conviciis quibusvis dignum esse. Videantur Vatablus, Menochius, Bonfrerius & Interpretes alii ad hunc locum, itemque Schindlerus in *Lexico* sub voce חַוָּיַי Delrio *Adagior. Sacror. tom. I. c. LXXIII.* Seldenus *de Uxore Ebraea. lib. I. cap. XIII.*

§. IV. Ab hac excalceatione omnino differebat excalceandi ritus in cessione solemniter usitatus, inque libello Ruth sequenti contextu expressus. *Hic erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, ut si quando alter alteri suo juri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israel. Dixit ergo propinquo suo Booz, Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo.*

§. V. At enim non desunt, qui ritum excalceandi utrobique usitatum confundentes differentiam in summa rei non agnoscunt. Quem in lapidem jam olim impegit Josephus *Antiquitatum Judaicarum libro V. cap. XI.* scribens: *Ille Bozo & sortem & mulierem cedit, quandoquidem & ipse defunctorum esset cognatus. Sibi enim jam & uxorem esse & liberos. Id Bozus apud Senatum contestatus, jussit mulierem accedere illum, & juxta legem calceum ei detractum in faciem inspuere. καὶ πύειν εἰς τὸ πρόσωπον.* Ita enim legendum hic pro τύπτειν, quod mendose in editionibus habetur, non vero πτύσσειν, quod Drusio *lib. I. Question. & Respons. Ebr. XLVI.* placet. Nam procul dubio Josephus respicit ad legem illam Deuteronom. XXV. Et Rufinus antiquus Josephi interpretes per latinum *exspuere* expressit. Ipse tamen Drusius hac in causa fluctuans, *Commentariis in historiam Ruth* scribit: *An in vindiciis eadem consuetudo fuerit, ac in jure ducendi superstitem fratris, quod vocant Ibbum, nescio. Et paucis interjectis: De hac re qui volent, & quibus otium est, diligentius anquirent.*

§. VI

§. VI. Ceterum diversa jura, diversosque excalceandi ritus fuisse, nunc paucis comprobabimus. Et ante omnia quidem hic supponendum, ex jure fratriæ ducendæ non nisi obligatum fuisse fratrem, proprie & stricte sic dictum. Quod si jam Boozum, Machlonis denati pridem Ruthæ mariti fratrem non fuisse dixerimus, diversitas elucet. Vnde recte Abarbenel apud Buxtorfium *Dissert. III de Sponsalibus & divor- tio: Machlon non fuit frater Boazi, ut obligatus fuisset ducere fratris sui defuncti uxorem.* Et Seldenus *de successione ad leges Ebr. in bona defunctorum cap. XV.* Neque Machloni defuncto Ruthæ marito erat frater Boozus. Neque de propinquo aut fratre qui fratriam duceret, verba sunt ibi. Sed diserte propinquo, cui jus aut officium erat redimendi patrimonium venditum ex lata Lev. XXV. 25. lege, de qua consulas Maimondem Halach semita vejubal. c. IX. & XII. Nec exutus hic calceus ritus est, qui ad fratriæ nuptias attinere potest. Neque nuptiarum renunciatio, sed contra ipse nuptiæ fiunt. Et licet cap. IV. v. III. Boozus coram Senioribus se profiteatur fratrem Elimelechi, non tamen id nisi de cognatione intelligendum: quod satis patet ex c. II. v. I. & XX. Et quid si etiam Elimelechi fuisset frater? Nam non de illius, sed de Machlonis, qui Elimelechi erat filius, fratre quæritur. Quod probe agnovit Abarbenel in hæc erumpens: *Non alia de causa vocant eum fratrem, nisi quia fuit de familia ipsius, non vero quod frater ipsius germanus & verus fuerit.* Et mox: *Et licet fuisset frater Elimelechi, sicut dixit supra, non tamen obligatus fuisset ducere Rutham, uxorem Machlonis, filii Elimelechi.*

§. VII. Ut igitur illa rituum differentia pateat clarius, duodecim notas, quibus invicem discerni queant, ex Serrario Jesuita, qui eadem *Commentaris in librum Ruth* ex Alphonso Testato repetiit, in medium afferemus. Nimirum in jure ducendæ fratriæ solvebat viro fraternam posteritatis excitationem reculanti mulier ipsa calceum; in contractus vero confirmationem, Vir. II. Illa excalceatio in opprobrium & dedecus fiebat; ista non. III. illa ex legis præcepto fiebat; ista ex consuetudine. IV. Illa inter solos defuncti alicujus fratres locum habuit; ista inter cognatos etiam, imo & inter omnes, qui in rebus gravioribus aliquem contractum

inirent. V. In illa nulli dabatur, qui extractus erat calceus; in ista dabatur contrahentium alteri. VI. Ante illam nulla, ut exueret quis calceum, præibat petitio, sed invito etiam detrahebatur; in hac fecus VII. Detrahebatur vero calceus etiam invito coram iudicibus; hic sponte coram quibuscunque idoneis testibus. VIII. Illa in sola suscitandi fraterni seminis recusatione adhibebatur; hæc in majoribus quibuscunque contractibus. IX. Illi calcei detractioni iungebatur consputatio; huic alteri nulla. X. Illi addebatur præterea mulieris acclamatio: *Sic fiet viro &c.* in hac vero clamor nullus. XI. Qui priori modo excalceabatur, ei hoc veluti perpetuum inurebatur dedecus, ut ejus domus vocaretur *Discalceati*; nullum vero posteriori excalceato dedecus erat. XII. Prior excalceatio tantum fiebat, cum nollet quis fratri semen excitare; posterior vero cum jus aliquod suum cederet cuiquam quispiam. Has igitur differentiarum notas si respicimus, optime iterum scripsisse censendus est Abarbenel, cujus hæc sunt latine versa: *Existimarunt quidam historiam (nuptiarum) Boazi & Ruthæ quoque fuisse ex vi juris Leviratus, & detractionem calcei, de qua lex in hac lege præcepit. Sed hæc sententia revera est perniciofa ac erronea.*

§. VIII. Fuit ergo hic ritus contractuum majoris momenti firmatorius; perinde ut nostris moribus claves traduntur, potus præbetur, & id genus symbola alia adhibentur, quæ corporalem rerum possessionem ac contractus initos confirmant. Et sicuti possessio apud Jurisconsultos dicitur quasi pedum positio, quod multarum rerum possessio adæatur pedum positione & calceatione; ita videtur hæc calcei porrectio symbolica fuisse, quæ alteri dominium cedebatur, & jus ad eundem possessionis dabatur: quasi diceret: *En trado tibi calceum quo hæcenus calcavi (aut certe jus habeo calcandi) agrum illum, quem nunc tibi cedo, ut in eum calces.*

§. IX. At enim in controversiam venit, uter contrahentium exuerit calceum; num cedens acquirenti dederit, an acquirenti cedenti. Rabbi Aben Esra *Commentar. ad Ruth*, acquirenti tribuit, seu ei qui jus in bona accipiebat. Vnde Boozum



zum introducit nudipedem, qui calceum velut alicujus precii  
 symbolum propinquo dederit. Nec dissentit Targum in  
 Bibliis Venetis: eidemque sententiæ calculum quondam  
 adjecit Drusus, quod tamen postea videtur retractasse. Et  
 sane alii aliter sentiunt, eumque qui jus alteri cedebat, se ex-  
 calceasse, & calceum velut cessionis signum acqvirenti tradi-  
 disse volunt. Atque ita quidem ex Patribus Cyprianus *lib. II.*  
*adversus Judæos cap. XVIII. Erat in lege, inquit, ut quis nuptias*  
*recusaret, calceamentum deponeret, calcearetur vero ille, qui spon-*  
*sus futurus esset.* Num vero unicus hic Cypriani locus ad sta-  
 biliendam Joh. Nicolai Weneri sententiam, coelibes apud  
 Judæos discalceatos incesisse, sufficiat, non immerito am-  
 bigo. Vide ejus *Corpusculum Philologicum membr. I. cap. VIII. §. V.* Ex  
 recentioribus probant posteriorem Junius & Tremellius, ipse-  
 que Megalander Lutherus. Quamvis autem Seldenus de *Jure*  
*Naturæ & Gentium. lib. IV. c. V.* non satis ex sacro sermone haberi  
 posse asserat, quod litem dirimat; posterior tamen sententia  
 priori videtur probabilior: id quod latius exponit, qui de hoc  
*Excalceandi ritu in Contractibus* singulari dissertatione egit Wit-  
 tebergæ anno abhinc tertio Vir Clarissimus M. Johan-  
 nes Clodius, cujus opera hoc ultimo capite  
 non parum nos adjutos fatemur.



*Ad LEIDENFROSTIV M meum.*

**M**agna Tui PATRIS meritorum gloria, majus  
 Nunc desiderium post tristia fata reliquit.  
 At cui GNATORVM succurrit TRIGA, PARENTEM  
 Hanc animare videt. Tu qui vestigia nuda  
 Vestigas Veterum, PATRIS vestigia calcas.

*Quod ex animi sententia testor, & sanctis B. PATRIS.*  
*B. Parenti meo quondam conjunctissimi Manibus de Filii*  
*pietate, probitate, modestia, eruditione, gratulor*

PRÆSES.



94  
 Tte  
 1126

**W**ann Mars auf welttem Feld die blancken Rittigen rückt/  
 Da sieht man wer ein Herk in seinem Leide trägt;  
 Und wann des Feindes Macht ganz nahe zu uns rückt/  
 Wer auf den kühnen Feind mit Eifer wieder schlägt.  
 Dann ob gleich etliche wie starcke Mauren stehen/  
 Und ihrem Gegen-Part hinwieder schrecklich seyn/  
 So sind auch ihrer viel gewohnter durchzugehen/  
 Und gehen Fried und Sieg mit will'gen Herken ein.  
 Warum? die lieben Leut die lieben auch ihr Leben/  
 Und lassen eh in Stich Pferd/ Säbel und Musquet/  
 Als daß sie ihren Feind das Blut zu kosten geben/  
 Da man nicht weiß/ ob man auch wieder aufersteht.  
 So machens ihrer viel auch in dem Lippen-Kriege/  
 Wann da das scharffe Schwert der Zungen fechten soll/  
 Und streiten wohlgemuth nach einem Ehren-Siege/  
 So ist das ganze Herk von lauter Zagheit voll.  
 Doch sey Ihm/ wie Ihm sey/ die sind auch nicht die Rechten.  
 Wir / vielgeliebter Freund/ wir wollen Zeugen seyn/  
 Wie/ deine Zunge kan die Warheit selbst verfechten /  
 Und räumen kein Quartier der falschen Meinung ein.  
 Du ahnest hlerinn nach des **GRÖSSEN BÄTERS** Thaten/  
 Als der da wohl das Schwert des Geistes hat geführt.  
 Drum muß die Lippen-Schlacht so glücklich auch gerathen/  
 daß deine Musen-Seitn die Lorbeer-Blüte zert.  
 Wohl an/ so halte dich/ und lerne ferner streiten/  
 der Himmel läßt das Glück zu deiner Seite stehn/  
 Und will dich wohl vergnügt mit vollem Steg begleiten.  
 Wohl dir/ du kanst vom Kampff als wie ein Steger gehn!

Zur Bezeugung ihrer Pflichtschuldigen Freundschaft/  
 nebenst Anwünschung aller beständigen Glückseligkeit / setet dieses  
 des Herrn Respondenten

**Zischgesellschaft.**



Pou TIC 1126, QK

ULB Halle

3

002 423 804



1077






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

# KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



R.K. 4

